MASTER NEGATIVE
NO. 93-81331-3

AUTHOR:

WOLTERSTORFF, GOTTFRIED

TITLE:

HISTORIA PRONOMINIS ILLE EXEMPLIS...

PLACE:

MARPVRGI CATTORVM

DATE:

1907

Master Negative #

93-81331-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Wolterstorff, Gottfried, 1882-
Historia pronominis ille exemplis demonstrata dissertatio ... qvam ... scripsit Godofredvs Wolterstorff... Marpvrgi Cattorvm, Koch, 1907.
73 p. 22 cm.


Thesis. Marburg.

Volume of theses.

Restrictions on Use:



TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4/27/93 INITIALS Emil
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202





no. 7

HISTORIA PRONOMINIS *ILLE* EXEMPLIS DEMONSTRATA

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AVCTORITATE ET CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM IN ACADEMIA PHILIPPINA MARPVRGENSI ORDINIS AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

GODOFREDVS WOLTERSTORFF
BALLENSTEDTENSIS ANHALTINVS

MARPVRGI CATTORVM
TYPIS ACADEMICIS IOH. AVG. KOCH
MCMVII

Dissertatio referente *Theodoro Birt* ab amplissimo philosophorum ordine die III. mensis Novembris a. MCMVI adprobata.

MANIBVS PARENTVM
SACRVM

Populus rem de qua loquitur non solum nomine quamque designat, sed gestu saepe contentus rem cuius mentio vel secunda vel tertia vel etiam prima fit digito monstrat neque nomine ipso sed pronomine demonstrativo exprimit. Tali autem verbo praeter obiectum ipsum etiam relatio indicatur, quae inter loquentem et rem monstratam intercedit; quae cum variari possit, variis pronominibus demonstrativis populus utitur, quibus is qui rem quandam possidet aut intervallum cognoscatur quo res ab eo qui loquitur separatur. Latini pronomine **hic** id quod ad loquentem ipsum pertinet, **iste** pronomine id quod ad eum pertinet, ad quem verba diriguntur, **ille** pronomine id quod pertinet ad ceteros homines sive ad „tertiam personam" designant. Longe saepissime tertiae personae pronomina adhibentur, ex quibus *ille* paulatim notionem valde amplificabat, hoc scilicet modo, ut partem significationum ceterorum pronominum susciperet.

De historia pronominum *hic, iste* Cl. L. **Meader** uberrime agit in libro quem inscripsit 'The latin pronouns is : hic : iste : ipse' New York 1901. Historiam autem pronominis *ille* numquam video accuratius esse prolatam; vel in grammaticis artibus quae hodie conscribuntur miror quod plerumque de usu cottidiano nulla fiunt verba, sed insigniores solas notiones attulisse contenti solent esse auctores. Explanatius quam ceteri hoc caput tractavit R. **Kühner**, Ausführl. Grammatik der lat. Sprache II (Hannover 1878) § 118, 452 sqq. Tamen conferendi sunt A. **Dräger**, Historische Syntax der lat. Sprache I[2] (a. 1878) §§ 38 sqq., p. 83 sqq.; Fr. **Stolz** et J. H. **Schmalz**, Lat. Grammatik[3] § 18, p. 444 sq. a. 1900 (in I. Mülleri Handbuch II_2).

Quamquam omnia fere Latinorum demonstrativa in linguis romanis vel ipsa hodie vivunt vel vestigia reliquerunt, maxime tamen ibi pronominis *ille* formae inveniuntur, quo et pronomen personale tertiae personae et articulus definitus formata sint. Inde facile cognoscitur iam Latinos pronomini *ille* plures attribuisse significationes, quae communi quodam de fonte quin derivatae sint non dubitandum est. Hoc autem fundamentum nihil nisi demonstratio erat, quam vel digito vel alio gestu faciebat is qui loquebatur.

Usus vere latinus verbi uniuscuiusque non ex sermone qualis in libris extat, sed ex sermone quo populus cottidie utitur cognoscitur; inprimis vis pronominum omnino alia illic, alia hic videtur. Fieri fere non potest, ut pronomen in libris adhibeatur demonstratione comitante; solis eis locis ubi orationes habentes auctor facit personas, ille usus invenitur. Ceteroquin sermo cottidianus legitur in epistulis quas ad amicos scripserunt amici, cum non publicandi consilium haberent dum scribunt, ut in epistulis Ciceronis ad Atticum datis[1]). Etiam sermo qui a negotiantibus adhibetur multas proprietates usus vulgaris antiquiores sine dubio servavit; quam ad inspiciendam rationem dicendi ex scriptis Romanorum iuris peritissimorum praeter leges nonnullas tertium librum Institutionum Gai perlegi.

Sed antequam ad scriptores ipsos tractandos transeamus, conspectum casuum quos distingui volo praemittam liceat:

I. *Ille* ad rem quae coram est spectat.
   1. Substantivum.
      α. ille.
      β. illic.

---

1) De scriptoribus sermonis vulgaris vide E. Woelfflin Phil. XXXIV (1876), 137—165. Fr. Diez Grammatik der roman. Sprachen I³ 5 sqq. H. Rönsch Itala und Vulgata 15. W. Meyer-Lübke, Gröbers Grundriss I² 492 sq. —

   2. Adiectivum.
      γ. ille.
      δ. illic.
   ε. 3. Aliis pronominibus opponitur: ego tu hic iste.

II. *Ille* ad rem antea nominatam spectat.
   A. Transitio: *ille* significatione *ille tuus* etc. praeditum.
      1. Substantivum.
         ζ. ille.
         η. illic.
      2. Adiectivum.
         ϑ. ille.
         ι. illic.
   B. *Ille* demonstrationem syntacticam ipsam efficit.
      1. Substantivum.
         κ. ad substantivum certum spectans.
         λ. ad notionem circumscriptam spectans.
         μ. *ille quidem — sed.*
         ν. ante substantivum cum praepositione coniunctum positum.
      2. Adiectivum.
         ξ. iuxta ipsum substantivum repetitum.
         ο. iuxta substantivum quo notio antea circumscripta exprimitur.
         π. *ille quidem — sed.*
      3. Aliis pronominibus opponitur
         a. substantivum *ille.*
            ρ. ille — ego tu meus etc. hic iste.
            σ. Pronomina *hic — ille* in oppositione debilitantur in significationem *alius — alius.*
         b. adiectivum *ille.*
            τ. contra ego tu meus etc. hic iste.
            υ. *non hic — sed ille.*

III. *Ille* sententias determinat:

A. pronomine relativo introductas.

1. *ille* ad rem quae coram est spectat.

a. substantivum.

φ. ille.

χ. illic.

ψ. Aliis pronominibus opponitur.

b. adiectivum.

ω. ille.

αα. illic.

Aliis pronominibus opponitur (id quod in libris examinatis non occurrit.)

2. *ille* ratione sola syntactica usurpatur.

a. nulla cum demonstratione.

ββ. substantivum.

γγ. adiectivum.

b. simul cum demonstratione.

δδ. substantivum.

εε. adiectivum.

ζζ. c. Aliis pronominibus opponitur.

B. coniunctionibus introductas orationemque et obliquam et directam.

1. Determinatio cum demonstratione mixta (hoc quidem in libris examinatis non occurrit.)

2. Determinatio pura; determinantur

ηη. quod, quia.

ϑϑ. cum.

ιι. ut.

κκ. ne.

λλ. si.

μμ. quaestio indirecta.

νν. accusativus cum infinitivo coniunctus.

ξξ. Oratio obliqua.

οο. Oratio directa.

IV. *Ille* notione *notissimus* praeditum.

ππ. a. adiectivum.

ϱϱ. b. substantivum.

V. *Ille* idem fere ac pronomen *is* valet.

σσ. a. *ille* iuxta *is* legitur.

ττ. b. *ille* saepissime iteratur.

υυ. c. *ille* ponitur, ubi demonstratione non opus est.

φφ. VI. *Ille* adaequat articulum definitum.

Ille et illic ad res quae coram sunt spectant.

Iam primum videamus utrum in dialogis fabularum **Plauti** pronomen demonstrativum *ille* gestu quodam comitante pronuntietur (α); fabula quae inscribitur Menaechmi pro exemplo sit. v. 337[1]) legimus *Sed miror qui ille noverit nomen meum.* Quae verba dicit Menaechmus alter, qui fratrem geminum idem nomen Menaechmi habentem quaerens Epidamnum venit neque ab incolis dinosci potest quippe gemino simillimus; Cylindrus coquus qui sibi rem esse cum Menaechmo Epidamniensi putat Menaechmum advenam allocutus ab eo non intellegitur. Menaechmus scit Cylindrum erravisse; tamen miratur quo modo se appellare nominatim (278. 287. 297) ille potuerit. Itaque abeuntem coquum monstrans Messenionem servum interrogat verbis eis quae modo laudavimus. — ib. v. 748 uxor Menaechmi Epidamniensis fratrem mariti, quem pro ipso marito habet, quod se illam novisse negat vituperans patremque advenientem monstrans exclamat: *Novistin tu illum?* cui Menaechmus item senem digito monstrans respondet: *Novi cum Calcha simul: eodem die illum vidi quo te ante hunc diem.* — α

1) ed. G. Goetz et F. Schoell, Plauti Comoediae IV. 1899.

Matrona et senex Menaechmum aegrotum putant observantque, si signa insaniae detegant; iam matrona patri dicit: *Viden tu illi oculos virere?* (v. 828).

Pronomen *ille* eodem modo adhibetur vv. 777. 810. 832. 833. 842. 861.

Iam vero Romani hominem vel rem praesentem ut significarent, syllaba *—ce* corpus pronominis muniebant formabantque pronomen *illic*, quod intra totam latinitatem a significatione primitiva non abscessit. Iam Plautus his formis

β plenioribus uti cogitur (β). Men. 559 sqq. mulier Menaechmi Epidamniensis irata quod maritus pallam compilavit amicaeque detulit, cum Peniculo parasito deliberat quid faciat, et cum Menaechmum Siculum advenientem videat quem pro coniuge habet, ad Peniculum dicit v. 568 *Quid ego nunc cum illoc agam?* Alii loci leguntur vv. 601. 853. ⟨952⟩ ex correctura Camerarii. 994.

Omnibus his in versibus pronomen est substantivum; tamen et adiectivum *ille* ita ponitur, ut obiectum quod coram

γ est monstret (γ). Illi inter Menaechmum Siculum et Cylindrum iurgio, de quo supra diximus (p. 9), Messenio interest iratusque quod coquus Menaechmum dominum molestissime moratur secum loquitur dicitque v. 304 sq.: *Hei mihi, quom nihil est, qui illi homini* (sc. Cylindro) *dimminuam caput.* — In ea scena qua Menaechmi Epidamniensis uxor eiusque pater Menaechmum alterum reprehendunt, quod se utrumque novisse negat, tandem illum insanum putant, Menaechmus, ut ab ambobus liberetur, insanire simulat seque bacchantem fingens exclamat v. 838: *Ita illa me ab laeva rabiosa femina adservat canem,* cum matronam ostendat.

δ Et *illic* ita adhibetur (δ): v. 307 sq. *Non tu in illisce aedibus habitas?* 820 *Tun, senex, ais habitare in illisce aedibus?* Duobus in his versibus de domo agitur illa quae post scenam picta videtur. Saepius de homine praesenti dicitur *illic homo*: v. 125. 992. 997. 1087.

Saepe pronomina varia opponuntur, qua re fit, ut significatio uniuscuiusque clarissime appareat. *Ille* quoniam pronomen est tertiae personae, pronominibus primae aut secundae personae opponitur (ε), ut in illo de quo supra diximus ε versu: Men. 749 *Eodem die illum vidi quo te ante hunc diem.* ib. 1119 Messenio Menaechmum interrogat Epidamniensem, dum dominum Menaechmum Siculum monstrat: *Uter eratis, tun an ille, maior?* Eadem in scena Menaechmus Epidamniensis fratrem ostendens Messenioni respondet v. 1122 sq.: *nam mihi hoc* (sc. nomen) *erat, quod nunc est, Menaechmo, illum tum vocabant Sosiclem.*

Demonstrationem syntacticam pronomen efficere incipit.

In composita oratione pronomina demonstrativa significationem mutare debebant vel amplificare, ut non modo res, quae adsunt, sed etiam quae modo aderant, sed nunc absunt aut quae nihil nisi memoratae erant, designarent. Hanc appellemus demonstrationem syntacticam. Transitionem ad hoc demonstrationis genus fortasse ibi cognoscamus, ubi *ille* non ad rem praesentem, sed ad verba quae pronuntiat alius respectat (ζ, η). In prima quarti actus scena Menaech- ζ η mum de palla mulieri surrepta secum colloquentem uxor audit durisque verbis vituperat. Maritus autem, qui mulierem adfuisse nesciat, aeque ac si uxorem non intellexerit, se gerit eiusque verbis respondet v. 606 *Quid illuc est, uxor, negoti,* i. e. quid sibi volunt verba tua? v. 852 mulier eadem seni respondet *Sumne ego mulier misera, quae illaec audio?* Eadem in scena senex verbis Menaechmi insanum se fingentis perterritus ad se ipsum *Enimvero,* inquit, *illud praecavendum est atque adcurandumst mihi,* sc. illud quod minatus est (v. 860).

Et adiectiva *ille* vel *illic* hoc modo ad demonstrationem syntacticam transierunt (ϑ, ι). Men. 251 legimus scriptum ϑ ι *illoc enim verbo esse me servom scio;* v. 934 *Nunc homo insanire occeptat: de illis verbis cave tibi,* sc. de verbis modo ab illo dictis; cf. et v. 317.

Talibus exemplis discimus usque ad hunc quidem gradum transitionis etiam pleniorem formam *illic* progressam esse;

longius tamen haec quidem non processit; ceteras significationis transmutationes forma *ille* sola percurrit[1]).

De ipsa demonstratione syntactica.

Iam de substantivo *ille*, quo is qui loquitur rem antea nominatam significat (κ), dicendum est. Hic pronominis usus

κ saepissime invenitur. Plautus scripsit Men. Prol. v. 5 *nunc argumentum accipite atque animum advortite* quem ad versum spectat v. 8 sq. *omnis res gestas esse Athenis autumant, quo illud vobis graecum videatur magis*[2]), sc. argumentum. ib. 19 sqq. *ita forma simili puerei, ut mater sua non internosse posset quae mammam dabat, neque adeo mater ipsa quae illos peperat,* sc. pueros. — Similiter v. 1145 *illa* sc. meretrix (v. 1140). Hic autem usus ita saepe occurrit, ut satis sit non omnes versus afferre, sed nonnullos tantum, velut Men. 23. 535. 596 etc.

Neque vero semper certum nomen quod praecedit supplendum est, sed saepe ex pluribus verbis antecedentibus novam sibi fingit mens auctoris imaginem, quam pronomine

λ demonstrativo revocat (λ). Men. v. 87 sqq. *Quem tu adservare recte, ne aufugiat, voles, esca atque potione vinciri decet: apud mensam plenam homini rostrum deliges.* Quae cum poeta scribat, in animo est imago parasiti; quasi hoc verbo usus sit, pergit Plautus v. 90 *Dum tu illi quod edit et quod potet praebeas suo arbitratu ad fatim cottidie, numquam edepol te fugiet.* . . . — Menaechmo Syracusano qui Messenioni respondet se Epidamnum venisse *fratrem quaesitum geminum germanum meum* (v. 232), servus moleste ferens quod dominus quaerere numquam desistit, verba obicit haec: *Nam quid modi futurum est illum quaerere?* quo in versu *illum* non solum *fratrem* significat, sed verbum quoddam quod omnes notiones v. 232

———————

1) Concedendum est Men. v. 98 *illic homo* de Menaechmo non praesenti dici. Tamen parasitus ante aedes illius stat domumque monstrans dominum ipsum monstrare sibi videtur.

2) Hiatus adest quem ut tollat Th. Birt, Der Hiat bei Plautus, Marburg 1901, p. 333 coniecturam fecit *Quo fit ut vobis graecum videatur magis.*

allatas amplectitur. Eundem versum respiciens Menaechmus ipse dicit v. 246 *Ego illum scio quam carus sit cordi meo.* Aeque interpretandi sunt Men. vv. 42. 45. 46. 67. 673. 769.

Eadem ratione adiectivum *ille* a Plauto ponitur (ξ). Maxime ξ
si substantivum ipsum repetitur, hoc ea de causa fieri solet, quod locus ubi primum extat, compluribus versibus intercedentibus nimis longe praecedit. Apud Plautum scriptum legimus Men. Arg. v. 7, quem versum vere Plautinum non esse hac in quaestione neglegendum puto: *hic fuerat alitus ille subrepticius,* quae verba ad v. 2 *surrupto altero* spectant. Plautus ipse scripsit ib. 57 sqq. *Epidamniensis ille, quem dudum dixeram, geminum illum puerum qui surrupuit alterum, ei liberorum, nisi divitiae, nil erat.* De gemino illo puero narraverat poeta vv. 31—33; ex quibus versibus nimis remotis substantivum *puer* cum attributis hoc loco iteratur; ut melius intellegatur, fortasse et v. 60 poeta omnia fere verba repetit: *Adoptat illum puerum surrupticium.* — Inprimis in fabularum prologis poetae permultas pronominis *ille* formas ponebant ideo scilicet, ut iterum atque iterum populum, qui dum intrat nondum satis quietus neque attentus erat, de argumento et de personis quae proditurae erant, certiorem facerent. Itaque in prologo Menaechmorum 16ies pronomen *ille* invenies, 10ies contra pronomen *is;* in Militis Gloriosi prologo 14ies *ille,* 14ies *is.* In Captivis Plautus etiam clarius loquitur quippe personas ipsas quae agent, dum prologus dicitur, in scenam ducens. — Men. v. 681 sq. poeta dicit: *Tibi dedi equidem illam ad phrygionem ut ferres paulo prius, et illud spinter, ut ad aurificem ferres, ut fieret novom.* Cum hoc spinter post vv. 525—540 non memoratum esset, substantivum hoc loco repetendum erat, si poeta intellegi volebat; pallam autem quae versu praeeunte memoratur Plautus v. 681 pronomine solo significat. Repetitio eiusdem verbi quamquam elegantiam nullam habet, tamen excusatur intervallo magno quod interest inter substantivum et pronomen demonstrativum.

Auctores posterioris temporis saepissime nomen rei, cuius imaginem verbis pluribus dederant, pronomini adiectivo ad-
o diderunt (*o*). Manifestum est et re ipsa explicatur adiectivum *ille* crebrius quam substantivum *ille* ad rem non nominatam, sed verbis compluribus circumscriptam referri; nam si res ipsa uno verbo nominata manifestaque esset, iuxta pronomen *ille* nullum desideraretur substantivum; ubi substantivum certum non praecedit, substantivum saepe expectatur. Ex Menaechmis nullum habeo exemplum elegantioris huius usus pronominis *ille*.

Pronomen *ille* ratione syntactica adhibitum eis pronominibus opponitur, quae primam aut secundam personam exprimunt sive personalibus sive demonstrativis. Pronomen *ille*
ϱ de absentibus dictum opponitur pronominibus *ego, tu* (*ϱ*): Men. 799 sq. *Si i l l e quid deliquerit, multo tanto i l l u m accusabo, quam t e accusavi, amplius.* Quae verba pronuntiat de Menaechmo filiae coniuge senex, cui filia irata narratura est maritum non modo meretricem amare et cum ea potare, sed etiam aurum et pallas sibi suppilavisse et illi detulisse. Senex qui initio generi peccata excusat, tandem filiae fortius in maritum inveheuti respondet verba illa quae supra allata sunt. Manifestum est totam hanc scenam agi Menaechmo absente. — Adde v. 174 *m i h i, t i b i atque i l l i iubebo iam adparari prandium.*

Neque vero solum pronominibus personalibus eiusmodi *ille* opponitur, sed etiam pronominibus demonstrativis secundae, praecipue primae personae, i. e. pronominibus *hic* et *iste;* quae paulatim ratione syntactica similiter atque *ille* ad res antea nominatas referuntur. Apud Plautum tamen hac notione praedita demonstrativa *hic* — *ille* nondum opponuntur[1]); apud posteriores autem frequentissimus hic usus est. Utrumque pronomen et substantivum et adiectivum sic abhibetur, maxime tamen substantivum; de duabus rebus quas auctor nominavit,

1) cf. J. B a c h, De usu pronominum demonstrativorum. Studemunds Studien II p. 302 sqq.

pronomen *hic* significare solet eam quae secundo loco appellata est, *ille* eam cuius nomen antecessit.

Apud Plautum ne adiectivum quidem pronomen tali in oppositione occurrit (*τ*); in Terentii autem fabulis legimus *τ*
scriptum Heaut. 442[1]) *In eandem fraudem e x h a x r e atque e x i l l a incides.*

De pronominum *hic* — *ille* oppositorum vi debilitata excursus.

Pronomina *hic-ille* mox tam frequenter opponebantur, ut usus et significatio paululum mutarentur: *hic* igitur ostendit rem quae primo quidem loco memorata tamen gravior est, *ille* rem leviorem. Qui usus saepius in Ciceronis scriptis et in Livii libris historicis occurrit[2]).

Pronomina hac in oppositione cum creberrime usurparentur, debilitationem quandam subierunt. Iam in Ciceronis libris *hic* et *ille* opposita non distinguuntur significatione, sed *hic* prius interdum ex duobus obiectis nominatis designat, *ille* posterius. Exempli causa afferam Pro Rosc. Com. 2 *quid est quod neglegenter scribamus adversaria? quid est quod conficiamus tabulas? quia h a e c sunt menstrua, i l l a e sunt aeternae*[3]).

Quae debilitatio vel longius progressa est: *hic* — *ille* sensum nanciscitur communem qualem fere *alius* — *alius* (*σ*). Inde *σ*
a Lucretio pronomina hac ratione adhibita inveni. Lucr. III 310 sqq. *nec radicitus evelli mala posse putandumst, quin proclivius h i c iras decurrat ad acris, i l l e metu citius paulo temptetur.* Iuvenalis pronominum oppositione fere semper sic utitur, atque etiam *tu-ille* ab eo communem illum sensum accipit, velut V 161 sq. *t u tibi liber homo et regis conviva videris: captum te nidore suae putat i l l e culinae;* VIII 55 *i l l i marmoreum caput est, t u a vivit imago.*

1) ed. Dziatzko, Lipsiae 1884.

2) L. K ü h n a s t, Die Hauptpunkte der Livianischen Syntax., 2. Aufl., Berl. 1872, 197 sq. — O. R i e m a n n, Études sur la langue et la grammaire de Tite-Live. Paris 1879, 121. — R. K ü h n e r, l. l. II 454 (§ 118, 2, Anm. 5). —

3) D r ä g e r l. l. 86 (§ 43, 1) hoc loco *hic* pronomine rem graviorem designari putat.

Haec quidem hactenus. Scriptores quos postmodo tractaturi sumus de hac quoque re singulos examinabimus.

De pronominis *ille* vi determinativa.

Pronomen *ille* saepe ad eum finem ponitur, ut res, de qua scriptor plura additurus est, satis emineat; res non per attributa, sed per totam sententiam describitur, quae scilicet sententia pronomine relativo inducitur. Demonstrativum sic usurpatum appellatur determinativum; ponitur autem *ille* et substantivum et adiectivum sive praesentem personam vel rem monstrans sive absentem sed antea memoratam spectans.

Primo loci laudentur tales quibus determinativum sub- φ
stantivum ad res praesentes respicit (forma φ); hic formam quoque pleniorem *illic* inveniri posse perspicuum est. Sed enim ita quidem rarius occurrit quam si nulla sententia relativa adicitur. Ex Menaechmis unum eiusmodi locum exhibere possum et eum incertum. Post v. 1028 libri versus septem falso huc delatos afferunt qui v. 1037 sqq. suo loco redeunt uno excepto, scilicet quinto post v. 1028 versu. Hic autem versus est quem hoc in conexu laudare nostra refert. Lorarios qui Menaechmum Epidamniensem quasi insanum iussu soceri rapiebant vinciebantque, Messenio, qui Menaechmum Siculum dominum offendi putat, reicit; qua re perfecta servus orat, ut Menaechmus, quem fratrem eri sui esse nescit, se manu emittat. Menaechmus sua quidem causa illum liberum esse aiens de Messenione, qui, ut marsuppium cum viatico afferat abit, miratur taliaque pronuntiat abscedentem oculis persequens: *Vel ille qui se petere modo argentum modo, qui servum se meum esse aiebat, quem ego modo emisi manu, is ait se mihi allaturum cum argento marsuppium.* — v. 784 *Ab illo, quoi me mandavisti, meo viro* (sc. ludibrio habeor) legitur. Hic incertum esse video Menaechmus adsit necne; ut prope sit res poscit.

Melius certiusque exemplum in fabula legitur quam inscripsit Plautus „Gloriosus". Pyrgopolynices Philocomasium quam Pleusicles amat captam tenet; Palaestrio servus eam liberare studens cum alia facit tum Acroteleutium meretricem quandam movet, ut se Periplectomeni mulierem esse

dicat neque vero maritum sed militem maxime depereuntem se fingat. Pyrgopolynices prope astans per Milphidippam de illius amore certior factus hanc quasi indignatus interrogat, dum Acroteleutium monstrat v. 1276 *Egon ad illam eam, quae nupta sit?*

Afferamus etiam exempla duo formae plenioris *illic* sic adhibitae (χ): Cist. 653 sq. *Nullam ego me vidisse credo magis* χ
anum excruciabilem quam illaec est, quae dudum fassa est mihi quaene infitias eat. Truc. 256 *Quis illic est, qui tam proterve nostras aedis arietat?*

Etiam oppositio pronominis determinativi et pronominum aliorum occurrit (ψ): Men. 746 sq. *Si me derides, at pol* ψ
illum non potes, patrem meum, qui huc advenit; mulier senem monstrans ita loquitur.

Adiectiva *ille* et *illic* quae simul obiectum praesens monstrant simulque determinant sententiam pronomine relativo introductam raro inveniuntur (ω, $\alpha\alpha$); tamen in Menaechmis ω
duo occurrunt loci eiusmodi: v. 335 sq. *Nam istic meretricem credo habitare mulierem, ut quidem ille insanus dixit, qui hinc abiit modo.* Verba haec Messenio dicit ad dominum Menaechmum, cui Cylindrus coquus rem commendavit quam Menaechmo Epidamniensi commendare debuit. Alter locus legitur v. 855 sq. *Ita mihi imperas ut ego huius membra atque ossa atque artua comminuam illo scipione, quem ipse habet.* Menaechmus Siculus ut a sene liberetur se insanum fingit verbaque modo laudata minatur. Liceat afferre ex Captivis v. 600 sq. *Crucior lapidem non habere me, ut illi mastigiae cerebrum excutiam, qui me insanum verbis concinnat suis.* Haec secum loquitur Aristophontes Tyndarum ostendens, qui illum insanum esse mentiendo dixerat; dolus erat hic Tyndari, qui impedire volebat, ne Aristophontes fraudem a se excogitatam proderet. — Adde Capt. 829 *Quae illaec est laetitia, quam* $\alpha\alpha$
illic laetus largitur mihi? Epid. 533 sq. *Quae illaec est mulier, timido pectore peregre adveniens quae ipsa se miseratur?* Quibus versibus et *illic* aeque adhibери demonstratur.

Longe saepissime *ille* determinans munere substantivi non ad obiectum praesens, sed ad rem tantum nominatam vel describendam spectat. Horum exemplorum numerus im-
ββ mensus omnibusque hic usus notus est. Men. prol. v. 22 *Ut quidem ille dixit mihi, qui pueros viderat;* quo in versu persona designata nondum nominata erat, sed sententia relativa sequitur, qua describitur; hanc determinationem, quae inprimis in proverbiis et in dicteriis invenitur, p u r a m appellare liceat (ββ), ut eam distinguamus ab illa, quacum demonstratio syntactica m i x t a est ita, ut *ille* simul et rem memoratam designet
δδ et sententiam relativam determinet[1] (δδ): Arg. v. 3 *Nomen surrupti illi indit qui domist;* prol. v. 42 *Illius nomen indit illi qui domi est.* Scimus indicari verbo *illi* fratrem geminum, quem apud matrem mansisse v. 28 iam comperimus. Sed inutile est ex ingenti numero plura afferre exempla.

Determinatio pura saepe neglegitur; determinatio mixta saepe ita comparata est, ut vocabulum prius iam memoratum ante relativum ipsum iteretur.

Pronomen *ille* demonstrativum simulque determinativum tractantes easdem statuere possumus differentias, quas in capite de mera demonstratione syntactica conscripto. Sed quoniam hac in quaestione non interest examinare, utrum ad verbum certum an ad notionem multis verbis circumscriptam pronomen respectet an etiam alteri pronomini vel substantivo vel adiectivo opponatur, omnia haec neglegi poterunt.

Adiectivum quoque *ille* determinativum creberrime obviam est et aeque ac substantivum in determinatione et pura (γγ)
γγ et mixta (εε) occurrit. Men. 308 *Di illos homines, qui illic habitant, perduint.* Pronomen hoc in versu nihil nisi determinativum est, quod de hominibus non nominatis, sed describendis dicitur.

---

1) Priore capite ita distinguere exempla necesse non erat, quod *ille* res praesentes monstrans s e m p e r etiam demonstrativum erat.

Ceterum pronomen *ille* in determinatione pura hic illic a Plauto omittitur: Epid. 542 *Quae meo compressu peperit filiam quam domi nunc habeo.*

Plerumque Plautus adiectivum *ille* determinativum ita ponit, ut simul verbum quod praecedit respiciat demonstrando; εε
cuius rei exempla extant plurima: Men. 41 *Ita illum dilexit qui subruptust alterum.* ib. 57 *Epidamniensis ille quem dudum dixeram.* 678 *Immo edepol pallam illam, amabo te, quam tibi dudum dedi, mihi eam redde.* cf. et vv. 69. 311. 426. 536.

Paulatim non solum sententiae secundariae, quae pronomine relativo, sed etiam quae coniunctionibus introducuntur, ex *ille* determinativo, inprimis ex forma neutrius generis *illud* vel *illuc* suspendi coeptae sunt. Primum coniunctiones eae, quae eadem radice qua pronomen relativum formatae sunt, determinantur: *quod, quia, cum.* Apud Plautum determinatio talium sententiarum non invenitur nisi ex *quod* incipientium ηη
(ηη), et id rarissime; in Menaechmis uno tantum loco, sc. v. 958 *Quid illuc est, quod me hic homines insanire praedicant?* Merc. 120 *Quid illuc est, quod ille tam expedite exquirit cursuram sibi?* 379 *Quid illuc est, quod ille a me solus se in consilium sevocat?*

Saepius coniunctiones determinantur a Terentio, saepissime inde a Lucretio. Coniunctio *cum* ex pronomine *ille* sus- ϑϑ
penditur (ϑϑ) in Terentii fabula quae inscribitur Adelphoe: v. 384 *Videre videor iam diem illum, quom hinc egens profugiet aliquo militatum.*

Pronomen *ille* solum interdum substantivo vel nomini proprio ea ratione attribuitur, ut *notissimus, clarissimus* similia vel, quod contrarium est, *maxime infamis* significet (ππ). ππ
Ille notione *notissimus* praeditum.
Plautus ut plerique scriptores sermonis vulgaris hunc usum rarissime praebet. In Menaechmis non extat exemplum. Legitur autem Amph. 461, Curc. 27, Most. 398, Pseud. 923 a: *ille Iuppiter* Aul. 704 *ego sum ille rex Philippus,* quibus verbis Strobilus servus cum Philippo illo rege Macedonum,

qui divitiis urbes capere sciebat, se comparat. Conferendi sunt Epid. 35, Trin. 439, Merc. 405, ubi *ille* ante nomina appellativa eadem ratione interpretandum est.

Interdum vel substantivo *ille* significatio inest *ille qui*
ϱϱ *vobis notissimus est* (ϱϱ). Exempli causa affero Men. 889 sqq., ubi Menaechmus Epidamniensis minime nominatus solo pronomine *ille* designatur: 889 *Quid esse* *i l l i* *morbi dixeras?* — 892 sq. *Quin ea te causa duco, ut id dicas mihi atque* *i l l u m* *ut sanum facias.* — 895 *Magna cum cura ego* *i l l u m* *curari volo.* — 896 sq. *Quin suspirabo plus sescentos in dies: ita magna ego* *i l l u m* *cum cura curabo tibi.* Similiter de milite, quamquam nondum nominavit, puer Periplectomeni secum loquens dicit Mil. 1379 *Ego iam conveniam* *i l l u m.*[1])

Ille pro pronomine personali adhibetur.

Quo crebrius vocabulum aliquod adhibetur, eo magis eius debilitantur et significatio et forma. Haec est inprimis fortuna pronominum demonstrativorum, quippe quae propter brevitatem semper in ore sint loquentium. Pronomen *ille* iam Plauti temporibus vim antiquam perdere coepisse aperte ex libris cognoscimus. Ei loci, ubi *ille* pronominibus personalibus oppositum esse videbamus, primum huius mutationis gradum significant; nam oppositio fit in eadem specie. Velim in memoriam revocetur versus supra laudatus Men. 174 *m i h i, t i b i* *atque* *i l l i* *iubebo iam adparari prandium.* Vides vim demonstrationis iam hic parum fortem esse. — Aliis quoque locis multis apud Plautum pronomen *ille* nihil nisi pronomen personale tertiae personae est et fere idem valet atque *is ea id.* Omnibus fere in narrationibus *ille* officio illius pronominis fungi facile confitebimur; vide quae dixi de prologis supra p. 13. Pronomen *is* tandem omnino propagato usu pronominis *ille* oppressum esse nos omnes cum ex cadente latinitate tum ex linguis quae dicuntur romanis scimus.

Ille pro pronomine *is* positum esse ibi affirmemus, ubi sensus, etiam si *ille* deesset, non mutaretur, quod fit, ubi

1) Similes locos comportavit Th. Birt l. l. 331.

pronomen ad rem modo nominatam spectat neque opus est demonstratione (υυ). Men. 787 sq. senex filiae de coniuge υυ
querenti respondens dicit: *Quotiens monstravi tibi,* *v i r o* *ut morem geras, quid* *i l l e* *faciat, ne id observes, quo eat, quid rerum gerat,* quibus verbis obicitur *At enim* *i l l e* *hinc amat meretricem ex proximo . . . atque ibi potat.* Colloquium hoc populare continuatur compluraque nobis offert eiusmodi exempla: v. 792 *Tua quidem* *i l l e* *causa potabit minus, sive illic sive alibi libebit;* v. 799 *Si* *i l l e* *quid deliquerit, multo tanto* *i l l u m* *accusabo, quam te accusavi, amplius;* v. 803 *At* *i l l e* *suppilat mihi aurum et pallas ex arcis domo.* Hoc *ille* non multum distare video a francogallico *il: ce qu' il fait . . ., mais il aime . . ., il ne boira pas moins* etc. — Debilitationem his locis adesse iam eo demonstratur quod pronominis formae saepissime repetuntur, quae consuetudo populi est (ττ). Similiter ττ
vv. 423 sq. leguntur: *Etiam* *p a r a s i t u m* *manes? / Neque ego* *i l l u m* *maneo neque flocci facio, neque si venerit,* *e u m* *volo intromitti.* Hoc loco iam clarius apparet pronomen *illum,* quod omnino eadem vi qua *eum* quod subsequitur praeditum est, nihil nisi pronomen personale tertiae personae esse (σσ). σσ
Idem certissime cognoscitur v. 649 *Quis* *e a m* *surrupuit? / Pol istuc ille scit qui* *i l l a m* *abstulit.*

Satis igitur multa huius debilitationis vestigia iam primis in operibus quae lingua latina utuntur adesse non dubitamus affirmare.

Ille idem fere atque articulus linguarum romanicarum valet.

Pronomen *ille* tandem debilitationem multo maiorem subiit, quae ad articulum definitum perduxit (φφ). Qui articulus quamquam in linguis demum romanicis adesse plerique putant, tamen multo vetustius est; Plautum pronomine *ille* φφ
ea ratione usum esse nonnulli iam viri doctissimi[1]) pro-

1) A. Fuchs, Die romanischen Sprachen. Halle 1849, p. 321. J. Bach, l. l. 297. — K. Reisig, Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft mit Anm. von Friedr. Haase. III. Syntax. Neu bearbeitet von Schmalz-Landgraf. Berlin 1888, p. 94, Anm. 365 b.

nuntiaverunt. Plautus cum in Menaechmis de fratrum geminorum infantia nonnulla narraverit, de fortuna et separatione fratris utriusque plura addit adiectivis usus *alter—alter*. Quae a Romanis nullo verbo adiecto opponi solent; a Plauto tamen hic illic membrum secundum cum pronomine *ille* coniungitur, quod ibi tam parvi momenti est, ut articulo quem vocant aequari merito possit. Nam ubi primum *alter* positum est, *alter* sequens iam expectamus certissimeque scimus quo id spectet; cui si tamen pronomen demonstrativum additur, vis eius demonstrativa iam minima neque maior est quam illa quae articulo definito inest. Plautus dicit in Menaechmis v. 24 sqq.:

Postquam iam pueri septuennes sunt, pater
Oneravit navem magnam multis mercibus;
Inponit geminum a l t e r u m in navem pater,
Tarentum avexit secum ad mercatum simul,
I l l u m reliquit a l t e r u m apud matrem domi.

Illum in v. 28 articulus est.

Similis locus eodem in prologo extare videtur v. 37 sq.:

Postquam Syracusas de ea re rediit nuntius
Ad avom puerorum, puerum surruptum a l t e r u m
Patremque pueri Tarenti esse emortuom,
Immutat nomen avos i l l i gemino a l t e r i.
Ita illum dilexit qui subruptust alterum.

Forma quae tradita est v. 40 *huic* retineri non potest; nam intellegi omnino nequit; *illi* legendum esse, quae est coniectura Fleckeiseni, veri simile puto.

De inhabili Vitruvii ratione demonstrationis syntacticae.

Iam ad **Vitruvium** veniamus. Pronomen *ille* quinquies tantum ab eo adhibitum est; pronomen *is* contra saepissime legitur: docti quidam fere millies trecenties positum esse computaverunt [1]). Substantivum *ille* extat tribus locis, ubi

1) J o h. P r a u n, Bemerkungen zur Syntax des Vitruv. Progr. Bamberg 1885, p. 82 sq. — H a n s Z i e g e l, De is et hic pronominibus quatenus confusa sint apud antiquos. Diss. Marburg 1897, p. 65.

res antea nominata pronomine indicatur (ϰ): 30, 18 (II praef. § 2) [1]): *at i l l e, ‚Dinocrates, inquit, architectus Macedo . . . .'* (sc. Alexander); pronomen autem, quod verbo *inquit* apponitur, apud latinos scriptores universos numquam aliud atque *ille* erat; 280, 14 (X 16, 9). De tertio loco 278, 18 videamus postea. ϰ

Adiectivum bis invenitur et id quidem satis inhabiliter positum: repetitur enim iuxta pronomen id ipsum substantivum, ad quod respicit pronomen (ξ): 59, 2 (II 9, 16) *Ea autem m a t e r i e s quemadmodum sit inventa est causam cognoscere. . . . posteaquam flamma circa i l l a m m a t e r i a m virgas comprehendisset, ad caelum sublata effecit opinionem uti videretur iam tota moles concidisse.* ib. 264, 8 (X 10, 5) *posterior m i n o r c o l u m n a, quae graece dicitur ἀντίβασις, foraminum VIII, latitudo foraminis SI, crassitudo FZ. subiectio foraminum XII, latitudinis et crassitudinis eiusdem cuius m i n o r c o l u m n a i l l a.* Neuter horum locorum nimio intervallo, quod inter substantivum antecedens et pronomen intercedat, excusatur, quam excusationem loci similes e Plauto allati habebant. Eo gravior et durior talis ratio dicendi neque veri scriptoris, sed hominis est in litteris parum eruditi. Tamen de hac re Vitruvius non modo non reprehendendus, sed potius admirandus est, quod, cum architectus esset, materiam artemque descripsit lingua Romanorum, quae talia ad exprimenda nondum adhibita erat. — Ceterum res memorata omnino congruit cum eo quod observavit Z i e g e l qui dicit l. l. 63. „Est enim hoc Vitruvii proprium, ut ad substantivum quod antecedit denuo significandum idem substantivum pronomine demonstrativo auctum iterum adhibeat etiam ibi, ubi sine vi ac pondere substantivum ponitur." ξ

***Ille* pro pronomine personali usurpatum.**

Quod numerus formarum pronominis *ille* paene ex oculis elabitur prae copia ingenti formarum pronominis *is*, apertissime demonstrat temporibus primi ante Christum natum saeculi

1) ed. 2. V. R o s e, Lps. 1899.

utriusque pronominis vim a Romanis distincte perceptam et accurate observatam esse. Tamen uno loco ipse Vitruvius
vv pronomine *ille* pro pronomine personali usus esse videtur (*vv*), scilicet cum scribat 278, 18 sqq. (X 16, 4) *cum autem Callias rogaretur ab Rhodiis ut contra eam helepolim machinam pararet et ut illam uti pollicitus erat transferret intra murum, negavit posse.* Conexus, in quo leguntur haec verba, nihil poscit nisi *eam.* Vitruvius autem ut omnino impediret, ne ei qui hunc locum legerent de machina modo nominata cogitarent, *illam* posuit, quo pronomine ad substantivum paenultimum dirigeret oculos.

Sexto denique loco codices quidem pronomen *ille* praebent, conexus autem reicit. 256, 1 sq. (X 6, 4) scriptum videmus: *Quae de materia fiunt organa ad hauriendam aquam quibus rationibus perficiantur quibusque rebus motus recipientia praestent versationibus infinitas utilitates, ut essent notiora quam apertissime potui perscripta sunt in illo tempore.* Iure plerumque typis imprimitur . . . *potui perscripsi.* Nam persona quae verbo *potui* exprimitur, etiam in verbo principali expectatur; obstupemus etiam de verbis *in illo tempore*, quae omni relatione carent. Apparet autem causa quae ea huc detulit: verba quae praecedunt *descripta est in ipso tempore* ut librarius textum mutaret effecerunt.

Transeundem est ad optimos latinitatis auctores. Linguam vulgarem quam maxime puram sine dubio in libris prosa oratione conscriptis inveniemus, inprimis autem in epistulis inter familiares datis; quarum exemplum splendidissimum **Ciceronis** epistulae ad Atticum datae sunt. Harum epistularum examinavi libros X—XI.

De demonstratione syntactica. Epistulae cum non sint dialogi neque res, de quibus verba fiunt, alteri demonstrentur, primitiva pronominum demonstrativorum significatio expectanda non est; eo magis pronomen *ille* ad rem nominatam (κ) vel pluribus verbis descriptam (λ)

apud Ciceronem respicit. Omnibus latinitatis temporibus verbis *ait* et *inquit* subiectum *ille*, numquam *is* additum est (κ). Ita κ
Cicero scripsit ad Att. X 1, 1 *μὴ μάν, inquit ille, ἀσπουδί γε* . . . In epistulis tamen haec locutio haut ita saepe expectanda est.

Ad certum deinde substantivum pronomen *ille* respicit ad Att. X 4, 6, ubi Cicero de filio queritur: *Omne meum obsequium in illum fuit cum multa severitate, neque unum eius nec parvum, sed multa et magna delicta compressi, patris autem lenitas amanda potius ab illo, quam tam crudeliter neglegenda. . . . Haec sive iracundia sive dolore sive metu permotus gravius scripsi, quam aut tuus in illum amor aut meus postulabat.* ib. XI 21, 1 de Terentia uxore, quam eodem in conexu XI 16, 5 primum nominavit, scribit: *de nummis et illa sic scripsit, ut ego ad te antea;* eodem in conexu XI 24, 2—3 *Vide quaeso etiam nunc de testamento, quod tum factum est, cum illa haerere coeperat. . . . equidem tibi potissimum velim, si idem illa velit* (sc. commendare testamentum) . . . *misit illa CCIↃↃ* (sc. *HS*).

Cicero quamquam *ille* in epistulis plerumque ita usurpat, ut ad nomina propria referat, ut praeter locos laudatos ad Att. X 4, 11; 8, 9; 11, 2; 3; 4; 5 multisque aliis locis quos enumerare longum est, tamen etiam de hominibus rebusve incertis dicit — mirandum autem est quam raro id fiat: X 15, 1 *eodem die Funisculanus a te attulit litteras, in quibus erat confirmatius idem illud.* X 16, 4 *Cum ad villam venissem, ventum est ad me: „centuriones trium cohortium, quae Pompeiis sunt, me velle postridie convenire" — haec mecum Ninnius noster — „velle eos mihi se et oppidum tradere". At ego tibi postridie a villa ante lucem, ut me omnino illi ne viderent.* Similiter pronomine usus est Cicero ad Att. XI 7, 5; 10, 1.

Ad totam cogitationem pronomen referendum est (λ) solo λ
hoc loco: ad Att. X 6, 2 *si sine illo possem, regerem.* Cicero iterum de filio querens dicit „nisi pater eius essem, regere

possem"; *sine illo* igitur adaequat substantivum huius fere notionis: sine illo ‚patrem esse'. — Eadem ratione locus explanandus videtur XI 24, 2 *de illo altero,* sc. de altera re, de qua scripsisti.

Et ille usus respiciendus est, ubi *ille* pro substantivo
μ repetitur, ut oppositionem aliquam corroboret[1] (μ): ad Att. X 4, 3 scriptum legimus: *alter* (sc. Pompeius), *is, qui nos sibi quondam ad pedes stratos ne sublevabat quidem, qui se nihil contra huius voluntatem aiebat facere posse, elapsus e soceri manibus ac ferro bellum terra et mari comparat, non iniustum ille quidem, sed cum pium, tum necessarium, suis tamen civibus exitiabile, nisi vicerit, calamitosum, etiamsi vicerit.* Quae elegantia apud scriptores, quos post Ciceronem tractabimus, neque hac forma neque ea, quam litteris π, υ designavimus, usquam extat.

Memorentur ei denique loci, quibus substantivum cum
ν praepositione coniunctum sequitur pronomen *ille* (ν): X 11, 2 *Illa de ratione nummaria non sunt eiusmodi — saepe enim audio ex ipso* (sc. Quinto fratre) — *ut non cupiat tibi praestare et in eo laboret.* XI 17, 3 *illud de litteris.* Solet genus neutrum hac in re poni.

Adiectivum demonstrativum paulo rarius in Ciceronis
ξ epistulis occurrit; cum ipso substantivo, ad quod respicitur (ξ), ponitur e. g. ad Att. X 12 b, 2 *sed mirificae sunt custodiae, et quidem ille ipse Curio suspectus.* Nomen appellativum adiungitur eodem modo ib. XI 21, 1 . . . *lecta eius* (sc. Quinti) *epistula gravissimum* (sc. dolorem) *cepi: tu, etsi non potuisti ullo modo facere, ut mihi illam epistulam non mitteres, tamen mallem non esse missam.*

Quae tamen demonstratio inelegantior non nisi paucis locis invenitur; plerumque substantivum quod cum adiectivo
o *ille* coniungitur notionem exprimit, quae e conexu eminet (o). Cicero X 12 a de salute desperans Atticum interrogat, num

1) cf. R. Kühner, l. l. 454, 6.

appropinquante Caesare se in Siciliam vertat. Cum nominatim Siciliam appellaverit, dicit X 12 a, 2 *potuisse certe teneri illam provinciam scio.* Nomen Siciliae imaginem provinciae excitavit; qua de re *illa provincia* dici potest. — ad Att. XI 15, 1 *ille enim ita videtur Alexandream tenere, ut eum scribere etiam pudeat de illis rebus.* Memorato nomine urbis Alexandreae eo tempore quo Cicero hanc epistulam composuit simul omnes obsidionis res animo obversantur, ad quas verba *illae res* referri possint. — ad Att. XI 22, 1 de fasciculo quodam loquens Cicero pronomine *ille* utitur, ut epistulas quae ibi continentur significet: *Diligenter mihi fasciculum reddidit Balbi tabellarius; accepi enim a te litteras, quibus videris vereri, ut epistulas illas acceperim.*

Similiter explicandi sunt loci X 13, 1 *illo homine* (sc. Antonio), XI 23, 3 *tempus illud.*

Et adiectivum *ille* ut substantivum ita ponitur, ut attributa, scilicet solius subiecti, opponantur (π): ad Att. X 17, 2 π
Crebro refricatur lippitudo, non illa quidem perodiosa, sed tamen quae impediat scriptionem meam. Plura eiusmodi non inveni exempla quae afferam.

De proprietate quadam Ciceronis.

Denique singularis usus adiectivi *ille* in Ciceronis epistulis occurrit, qualis oriri non potuit nisi in familiarium commercio quod per epistulas habetur: amicis multae res ita sunt notae, ut ubi vel primum nominantur cum pronomine demonstrativo coniungantur. Saepe quidem Cicero hac licentia utitur, velut ad Att. X 4, 11 *levata est enim suspicio illa domestici mali et sermonis Hirtiani;* ib. 5, 3 *deversorium illud;* interdum autem sensus obscuratur solique casui debemus, si hodie intellegimus, de quibus hominibus vel rebus loquatur auctor; interdum de interpretatione laboramus. Cicero ad Atticum scripsit X 1, 2 *iam enim illum emptum pacificatorem perorasse puto, iam actum aliquid esse in consessu senatorum.* Atticus sciebat de Curione cogitavisse Ciceronem; nobis autem hoc divinandum est. ib. X 11, 4 *recordor enim, aestate cum illo Rhodiorum ἀφράκτῳ navigans quam fuerim sollicitus.* Attico quidem

haec verba satis aperta erant; nos nescimus de quo navigio Cicero dicat. Similes loci sunt X 4, 4 *in illis libris;* 15, 2 *Caelianum illud;* 16, 4 *illa Caeliana;* 18, 1 *illa Hortensiana;* XI 2, 2 *illam miseram.*

ϱ Opposuit Cicero pronomen *ille* aliis quoque pronominibus (ϱ): ad Att. X 4, 4 *Horum ego summorum imperatorum non modo res gestas non antepono meis, sed ne fortunam quidem ipsam, qua illi florentissima, nos duriore conflictati videmur. Illi* sunt Caesariani, *nos* Pompeiani quibus Cicero se ipse ascribit. Similes loci leguntur X 4, 11; X 8 B, 1 in epistula Caesaris quam Cicero litteris ad Atticum datis adiunxit; XI 11, 1.

Pronomen *hic* tali in oppositione occurrit: ad Att. X 14, 1 *illum sibi iratum, hunc non amicum.* De Caesare et Pompeio loquitur Cicero, qui cum alibi tum hic Caesarem quasi longinquiorem pronomine *ille* designat. Eadem notione praedita haec pronomina adhibet, etsi primum de Pompeianis, deinde de Caesarianis in sententia quae praecedit dixit: X 8, 4 ... *eiusdem cum Pompeio et cum reliquis principibus non feram? ... ab illis* (sc. reliquis principibus) *est periculum, si peccaro, ab hoc* (sc. Pompeio), *si recte fecero.* Adde XI 15, 1.

τ Adiectiva *hic-ille* opponuntur (τ) ad Att. X 8, 8 *quamquam tempus est nos de illa perpetua iam, non de hac exigua vita cogitare.*

Unum repperi exemplum substantivi et adiectivi oppositorum: XI 6, 6 *Omnino haec eodem modo ex hac parte* (sc. Caesarianorum) *fiunt, nisi quod illud* (i. e. quod Pompeiani facere audebant) *erat infinitum.*

Denique *hic-ille,* ut simplex *ille,* ita usurpantur, ut non ipsa pronomina contrarium forment, sed duo attributa
υ opponantur (υ): ad Att. X 8, 6 *Et tamen, mi Attice, auguria quoque me incitant quadam spe non dubia, nec haec collegii nostri, sed illa Platonis de tyrannis.*

De vi determinativa. Saepissime pronomine *ille* determinat Cicero enuntiata cum relativa tum alia sive quae coniunctionibus introducuntur

sive quae per se ipsa stant. Ad rem quae coram est in epistulis spectari non posse clarissimum est. Determinatio pura nusquam nisi duobus locis invenitur in libris eis quos perscrutati sumus (ββ, γγ): ad Att. X 14, 1 *O vitam miseram* ββ
maiusque malum tamdiu timere, quam est illud ipsum quod timetur. Quasi oraculum haec sententia pronuntiatur, quo in sermonis genere *ille* crebrius ita positum esse supra iam memoravimus. — Adiectivum *ille* sic legitur X 9, 2 *Dices* γγ
„ubi ergo tuus ille animus, quem proximis litteris?"

Substantivum *ille* simul et determinat et ad verbum praecedens respectat (δδ): XI 7, 7 *Quintum filium vidi qui Sami* δδ
vidisset, patrem Sicyone: quorum deprecatio est facilis; utinam illi, qui prius illum videbunt, me apud eum velint adiutum tantum, quantum ego illos vellem, si quid possem. Pronomine igitur *illi* et homines modo nominati demonstrantur et enuntiatum relativum determinatur. Conferendi sunt loci X 1, 1; XI 16, 1; 23, 3.

Hoc quoque mihi liceat afferre exemplum adiectivi *ille* εε
eadem ratione usurpati: XI 2, 2 *iam illa HS LX, quae scribis, nemo mihi umquam dixit ex dote esse detracta, numquam enim essem passus.* Demonstrationem quamquam nos quidem non videmus, tamen adesse ex verbis Ciceronis ad epistulam Attici respectantibus cognoscimus, ubi de pecunia illa scriptum fuisse necesse est. Alia exempla huius usus inveniuntur X 7, 3; 8, 7.

Ceterorum enuntiatorum semper fere pura determinatio est, sive coniunctionibus introducuntur, sive sententiae principales sunt. Coniunctio *quod* ut iam a Plauto, ita a Cicerone ex *ille* suspenditur (ηη): X 13, 2 *Illud admiror,* ηη
quod Antonius ad me ne nuntium quidem, cum praesertim me valde observarit. Similiter dicitur XI 12, 2.

Sed et cetera omnia enuntiata de coniunctionibus dependentia determinantur: *ut* (ιι): ad Att. XI 22, 2 *etiam* ιι
illud mea magni interest, te ut videam. — *ne* (κκ): ib. X 12 b, 2 κκ
Illud recte times, ne ruat.

Saepius accusativus cum infinitivo coniunctus ita determinatur (νν): ib. X 9, 1 *etiam illud erat persuasum, Pompeium* νν

cum magnis copiis iter in Galliam per Illyricum fecisse. X 4, 6; 8 A, 1 (in Antonii epistula); X 9 A, 2 (in Caelii epistula); X 14, 3; XI 22, 1.

oo Saepe ex *ille* oratio directa suspenditur (*oo*), velut XI 8, 2 *quare ad illud redeo: cura, ut huius rei causa dedita opera mittat aliquem Balbus.* X 6, 2.

Exempla docent fere semper neutrius generis aut nominativum aut accusativum hunc in finem usurpari.

Ille notione *notissimus* praeditum.

Cicero saepe ut hic illic iam Plautus, gravem et incitatam significationem quae est *ille notus* pronomini *ille* tribuit (*ππ*).
ππ Cum de diebus loquitur, quibus Catilinarios diligentia maxima captos statim occidendos curavit atque rem publicam prudentia consilioque servavit, locutione uti solet hac: *Nonis illis Decembribus*, velut ad Att. X 1, 1. Similiter de nocte qua Scipio Africanus interfectus est et de die quo Sullani crudelissimum Romae regnum inierunt dicit ib. X 8, 7 *Non fuisset illa nox tam acerba Africano*[1]*, sapientissimo viro, non tam dirus ille dies Sullanus callidissimo viro C. Mario, si nihil utrumque eorum fefellisset.* Aequa cum notione ponitur *ille* ib. X 8, 6 *nullo enim modo posse video stare istum* (sc. Caesarem) *diutius, quin ipse per se etiam languentibus nobis concidat, quippe qui florentissimus ac novus VI. VII. diebus ipsi illi egenti ac perditae multitudini in odium acerbissimum venerit ....* Pronomen *ille* hoc loco certe non in bonam partem usurpatur; explanandum est potius: multitudini cuius mali mores habitusque omnibus nobis vel notissimi sunt.

Ciceronis proprium est, ut etiam substantivum *ille* ita ponat, cum de homine loquitur, qui ab omnibus observatur,
ϱϱ velut de Caesare (*ϱϱ*). Quamquam in paragraphis praecedentibus Caesar omnino non nominatus est, tamen subito *ille* occurrit significans: „ille quem nominare non opus est; novistis eum“ [2]). Exempla innumerabilia sunt: ad Att. XI 8, 1

1) cf. Cic. Somn. Scip. 2. Vell. II 4.
2) Vide supra de locis Plautinis p. 20.

Per eos, qui nostra causa volunt valentque apud illum, diligentissime contendas opus est, per Balbum et Oppium maxime, ut de me scribant diligentissime. X 10, 4 *Vide quam turpi leto pereamus et dubita, si potes, quin ille, seu victus seu victor redierit, caedem facturus sit. ... Sed plura scribam, cum illum convenero.* XI 15, 1 *ille enim ita videtur Alexandream tenere.* Taedet omnia afferre exempla.

Pluralis numerus pro *Caesariani* scribitur ad Att. XI 7, 3 *Dices „quid illis* (sc. futurum est), *si victi erunt?“* — De victoria Pharsalica imminente Cicero dicit ib. XI 6, 2 . . . *ut iam omnium iudicio constitutum esset omnium vestrum bona praedam esse illius victoriae;* scilicet illius de qua sola nunc cogitari potest.

Ut de Caesare, ita de quovis alio *ille* eadem ratione adhibetur: ad Att. XI 22, 1 *Nam quod te vereri scribis, ne illi obsint* (sc. litterae), *eique rei mederi, ne rogari quidem se passus est de illo,* quae scimus verba de Quinto fratre fieri.

Ille pro pronomine personali adhibetur.

Ciceronem quoque, praesertim in litteris ad amicum datis neque destinatis quas populus legeret, *ille* pro pronomine personali tertiae personae usurpavisse expectamus. Nonnulla exempla extant ad Att. XI 9, 2, ubi *ille* et *is* de eisdem hominibus eadem in periodo scripta videmus, pronomine *ille* modo praecedente modo sequente[1]) (*σσ*): *Delatus est ad me* *σσ*
fasciculus; solvi, si quid ad me esset litterarum: nihil erat, epistula Vatinio et Ligurio altera; iussi ad eos deferri; illi ad me statim ardentes dolore venerunt scelus hominis clamantes; ... ipsi enim illi putavi perniciosum fore, si eius hoc tantum scelus percrebuisset: cognovi eiusdem generis.

Tamen saepe pronomen *ille* iuxta *is* ea de causa invenitur, quod — ut supra — ubi verborum constructio mutatur, singularum orationis partium accuratius premendarum causa pronomen *ille* ponere solebant auctores.

1) Nam si *ille* praecedit, vel homo vel res, cuius nomen paululum abest, eo re vera demonstrari possunt.

Quae significatio non raro inde apparet, quod demonstratio abundat (*vv*), velut ad Att. X 14, 2 *Quamobrem, quidquid habes ad consolandum, collige et illa scribe.* XI 6, 2 *Me discessisse ab armis numquam paenituit: tanta erat in illis crudelitas, tanta cum barbaris gentibus coniunctio, ut non nominatim, sed generatim proscriptio esset informata.* Suffecisset *eis* scribere. Tales loci plures inveniuntur. *vv*

Sermonem porro popularem in eis inveniemus libris, qui dicuntur commentarii, quibus ipse qui conscripsit res gestas brevissime narratas memoria teneat vel libro postea conscribendo fundamentum certum creet. Talis generis inprimis sunt Caesaris commentarii et de bello Gallico et de bello civili compositi. Ratio dicendi qualem imperator ille his in libris adhibuit, quamquam egregiae brevitatis, tamen nobilissima est ingenioque eius respondet. Sunt qui imitati sint scriptorum Caesaris et materiam et brevitatem locutionis; hos autem scriptores quippe rationem dicendi sibi familiarem imitantes minoreque eruditione praeditos quam Caesarem, permultas sermonis vulgaris proprietates admisisse facile percipitur. Quomodo cum alii libri tum descriptio belli, quod Caesar in Hispania gessit, orta est[1]).

De demonstratione syntactica.

In **Bello Hispaniensi** pronomen *ille* semper ratione syntactica usurpatur. Ad verbum certum respectat substantivum *ille* (*ϰ*) 13, 6 *Illi cum in oppidum revertissent, relato responso clamore sublato omni genere telorum emisso pugnare pro muro toto coeperunt.* Legati qui pronomine *illi* indicantur, sententia priore iam uno verbo nominati sunt: *Quibus respondit Caesar se condiciones dare, non accipere assuevisse.* Cum structura grammatica cogamur *illi* legentes de oppidanis, quod verbum *ϰ*

1) De latinitate huius libri v. Jos. Degenhart De auctoris belli Hispaniensis elocutione et fide historica. Diss. Würzburg 1877. — A. Köhler De auctorum belli Afr. et Hisp. latinitate. Acta semin. Erlangensis I. 1878, p. 367—471.

praecedit § 5, cogitare, quoniam oppidani, non legati ante murum pugnant, tamen conexus legatos pronomine *illi* dictos esse indicat. Itaque periodum inepte constitutam esse cognoscimus. — *ille* eodem modo positum extat et 17, 2; 19, 3; 22, 3; 4; 5; 23, 6; 29, 7.

Non ad verbum certum, sed ad nomen pluribus verbis circumscriptum (*λ*) *ille* referendum est 22, 4 ... *ab oppidanis concursu facto eum, qui legatos iugulasset, lapidare et ei manus intentare coeperunt: illius opera se perisse.* Pronomen *illius* ad verbum quoddam spectat, quod notiones omnes enuntiato relativo praecedente expressas amplectitur. — Similiter *illi* 36, 4 significat: qui Caesari dediti in eius legionem distributi erant. *λ*

Cum substantivum *ille* plerumque ad verbum certum spectet, adiectivum *ille* uno loco excepto semper substantivo additum est, quod imaginem e conexu exortam complectitur. 29, 2 legimus (*ξ*): *Hoc accedebat, ut locus illa planitie aequitate ornaretur et dies solis serenitate, ut mirificum et optandum tempus prope ab diis immortalibus illud tributum esset ad proelium committendum.* Verba *illa planitie aequitate* ad § 3 referenda sunt, ubi *non habuit dubium, quin media planitie in aequum ad dimicandum adversarii procederent* scriptum est. Inde voces *planities* et *aequitas (aequum)* sumptae sunt. *ξ*

Ceteroquin adiectivum *ille*, quod est elegantius, semper cum novo substantivo coniungitur (*ο*), velut in extrema sententia modo allata: *mirificum et optandum tempus illud* ad *diem* respicit qui *solis serenitate* excellit. Similiter 6, 3—4 legimus: ... *incidit, ut matutino tempore nebula esset crassissima. Ita illa obscuratione* ... Alii loci ita interpretandi extant 3, 7, 9; 9, 1; 14, 1; 25, 1; 32, 8; 36, 1; 40, 1. *ο*

Nonnulla extant exempla, ubi pronomen *ille* aliis pronominibus opponitur (*ϱ*): primae personae opponitur 16, 2 ... *secumque extulerunt ... praeterea argentum, vestimenta, ut, dum nostri in praeda detinentur, illi caede facta ad praesidia Pompei se reciperent.* *Nostri* quod dixit auctor, aeque valet *ϱ*

ac pronomen *nos*, quo Caesariani significantur, cum *illi* de Pompeianis dicatur; conferendus est locus 36, 3.

Secundae personae opponitur *ille* 17, 1 *Utinam . . . hanc virtutis constantiam in tua victoria, non in illius calamitate praestarem; tua* est Caesaris, *illius* Pompei. 19, 4 . . . *qualem me illi* (sc. Pompeio) *praestiti, tali virtute et constantia futurum me in te* (sc. Caesarem) *esse praestabo.*

σ Pronomini *hic* opponitur *ille* 5, 4 *ex qua contentione cottidiana minuta proelia fiebant, ut modo hi, nonnumquam illi superiores discederent; hic ille* hoc quoque loco de Pompeianis et Caesarianis dicuntur ita tamen, ut significatio debilitata evadat: *alteri — alteri;* nam discerni nequit quos *hi*, quos *illi* appellet auctor (σ).

Ille notione notissimus praeditum. ϱϱ

Ut apud Ciceronem Caesar, ita hoc ab auctore Pompeius aut Pompeiani pronomine *ille* significari solent, etsi nomen Pompei non praecedit (ϱϱ): 25, 3 *Illi tamen procul dubio ad congrediendum in aequum locum non sunt ausi descendere praeter unum Antistium Turpionem.*

Ille determinativum. γγ

Uno denique loco adiectivo *ille* vis purae determinationis inest (γγ): 35, 2 *Erat bene magna manus intra Pompeianarum partium, quae praesidium receptum indignaretur clam quendam Philonem, illum qui Pompeianarum partium fuisset defensor acerrimus.*

Pluribus locis in Bello Hispaniensi *ille* non adhibetur.

De pronomine demonstrativo *ille* exemplo poetarum dactylicorum in pronomen personale mutato.

Aetatem nunc optimorum scriptorum relinquentes usum pronominis *ille*, qualis primo post Christum natum saeculo fuerit, observemus. Antequam vero ad Petronii saturas perscrutandas transeamus, de debilitatione quam significatio pronominis *ille* subiit, pauca addere mihi liceat. Sermonis vulgaris est vim quae verbis inest usu creberrimo minuere. Qua de causa pronomen *ille*, initio nihil nisi demonstrativum, pro pronomine personali tertiae personae in usum et poetarum et rerum scriptorum hic illic venisse iam supra demonstravimus.

Hic usus sive abusus ut incresceret inprimis poetae dactylici auctores fuerunt. Sive *is* nimis infirmum esse videbatur, sive formae pronominis *ille* liquidiores hexametroque magis aptae erant, certe carmina Horatii et Vergilii pronomine *ille* hac ratione adhibito abundant[1]). Accidit autem, ut sermones quoque Horatii, quibus poeta consilio „sermonem“ vulgarem imitans pronomen *ille* pro *is* adhibere cogebatur, celeberrimi fierent et posterioribus temporibus pro exemplo essent. Itaque auctores posteriores genere populari horum dactylorum neglecto etiam Horatii auctoritate se niti posse credebant, cum *ille* pro *is* scribebant.

Horatius Augustum Caesarem, ut salus Marcelli cordi sit, monens dicit C. I 12, 50 *tibi cura magni Caesaris fatis data: tu secundo Caesare regnes;* quamquam pronomine *tu* subiectum enuntiatorum quae sequuntur vel clarissime elucet, tamen poeta pergit v. 53:

ille seu Parthos Latio imminentis
egerit iusto domitos triumpho
sive subiectos Orientis orae
Seras et Indos
te minor latum reget aequus orbem.

C. I 24 totum de Quintilio Varo agit; tamen subiectum iteratur per *ille* pronomen quod quasi eminet cum exclamatione v. 9: *multis ille bonis flebilis occidit.* In prima prioris libri satura v. 1—19 Horatius nihil nisi de eis qui sorte sua non contenti sunt locutus pergit v. 20:

quid causae est, merito quin illis Iuppiter ambas
iratus buccas inflet . . .

Series talium locorum facile augeri potest; inprimis nominativo masculini generis et singularis et pluralis numeri Horatius ita utitur, praeterea dativo masculini generis pluralis numeri; sed ceterae quoque formae hoc munere funguntur. Pronomen *is* rarissime obviam est: XXXIII computavi locos.

1) De pronominis *is* in poetica oratione usu vide Meader l. l. 3—28.

Dativus *ei*, accusativus *eam*, ablativus *ea*, nominativi *ei eae ea*, dativus vel ablativus *eis* omnino non extant. Plerumque Horatius forma *id* (undecies) usus est. In odis, quo in numero Carmina, Epodos, Carmen Saeculare duco, nulla forma nisi *eius* et haec quidem duobus locis invenitur. Casus igitur qui extant sunt hi:

is	*ea*	*id*	——		
	eius		*eorum*	*earum*	—
——			——		
eum	—	*id*	*eos*	*eas*	*ea*
——	*eo*		——		

Similis condicio est pronominum in carminibus Vergilii; apud eum quoque multi casus omnino non extant, velut *eius*, *ei* (dativus singularis, nominativus pluralis numeri), *eae, eorum, earum, eis* vel *iis* (dativus, ablativus), *eas;* casus qui extant sunt hi:

is	*ea*	*id*	——		*ea*
——			——		
——			——		
eum	*eam*	*id*	*eos*	—	*ea*
eo	*ea*	—	——		

Eclogae nullam nisi formam *id* praebent. Inde iam perspicuum est pronomen personale tertiae personae alio modo restituendum fuisse. Demonstrativum *ille* non solum pro eo ponebatur, sed saepe a Vergilio ideo tantum scribebatur, ut indicaretur subiectum idem manere quod in sententia proxima, velut Aen. I 3:

Arma virumque cano Troiae qui primus ab oris
Italiam fato profugus Laviniaque venit
litora, multum ***ille*** *et terris iactatus et alto*
vi superum, saevae memorem Iunonis ob iram.

Adde Aen. III 490. V 457.

Pronomen personale *ille* est Aen. II 705, ubi postquam Anchises nonnulla locutus est, Vergilius pergit *dixerat* ***ille***. Quo loco pronomen abundare poeta ipse sentiebat, quippe

qui interdum nihil nisi *dixerat* scriberet: II 152, 621; III 607; IV 238 etc. — Nonnullis iam de Galaeso verbis factis poeta dicit Aen. VII 538:

quinque greges ***illi*** *balantum, quina redibant*
armenta et terram centum vertebat aratris.

Pronomen *ille* tali significatione praeditum etiam posteriore metaphorarum parte ineunte legi solet[1]), velut Aen. IV 68 sq.:

uritur infelix Dido totaque vagatur
urbe furens, qualis coniecta cerva sagitta,
quam procul incautam nemora inter Cresia fixit
pastor agens telis linquitque volatile ferrum
nescius; ***illa*** *fuga silvas saltusque peragrat*
Dictaeos, haeret lateri letalis harundo.

Sed plura afferre exempla propter maximam copiam necesse non est.

Saturas nunc quae a **Petronio** conscriptae nobis traditae sunt examinabimus. Quo in opusculo non modo rationem dicendi Horatii sermonum invenimus, sed etiam magis vulgarem, cum homines infimorum ordinum loquantur. Itaque et usu et formis verborum et structura grammatica vel pessima linguae latinae a populo inerudito deformatae imago nobis praebetur. Quamquam singulis personis suam cuique rationem dicendi Petronius tribuit[2]), tamen is qui historias omnes tamquamsi sibi acciderint narrat et quasi libros capsula amplectitur, Encolpius, pro poeta ipso correcteque loqui mihi videtur.[3])

---

1) Kühner l. l. 456, 11.

2) Chr. Cavallin, De L. Apuleio, scriptore Latino, adversaria. Diss. Lund 1857, p. 21. — E. Ludwig, De Petronii sermone plebeio. Diss. Marburg 1869, p. 1 sq. — A. a Guericke, De linguae vulgaris apud Petronium reliquiis et in inscriptionibus parietariis Pompeianis. Diss. Gumbinnen 1875, p. 1 sq.

3) cf. Ludwig, l. l. 1.

Ille ad rem quae coram est spectat.

Petronii saturae quoniam maximam partem dialogi sunt exempla offerunt demonstrationis illius quae ad res oculis subiectas spectat. Hac cum significatione substantivum ponitur (α): 37, 3[1]) *ignoscet mihi genius tuus, noluisses de manu illius panem accipere.* Quibus verbis vicinus respondet Encolpio qui uxorem Trimalchionis ‚huc illuc discurrentem' videns quidem, sed ignorans interrogaverat, quae esset mulier illa. — In hoc et in proximo capite, ubi Encolpio de Trimalchione eiusque uxore praesentibus nonnulla narrantur, multa eiusmodi exempla occurrunt, velut 37, 5. 8; 38, 1. 2. 4. 11. 12 (bis). 14. 16. — Ad rem, non ad hominem *ille* spectat 75, 10, ubi Trimalchio candelabrum monstrans exclamat: *tam magnus ex Asia veni quam hic candelabrus est. ad summam, quotidie me solebam ad illum metiri.*

Omnia huius usus exempla enumerare supersedens, ad capitulum proximum transeo, ubi de adiectivo *ille* ad rem quae coram est spectante dicetur (γ). Convivis Trimalchio c. 39 instrumentum quoddam monstrat, quod caelum in duodecim zodiaci partes divisum imitatur. Unumquodque signum ostendens explicationes tamquam philosophus vel astronomus dat et de ariete loquens (§ 5) *itaque,* inquit, *quisquis nascitur illo signo, multa pecora habet, multum lanae, caput praeterea durum, frontem expudoratam, cornum acutum.* — Idem aprum qui cenantibus proponitur monstrans dicit 40, 7 *etiam videte, quam porcus ille silvaticus totam (lotam* coni. Buechelerus) *comederit glandem.* Similes loci plures adsunt velut 13, 3; 39, 4; 95, 2; 114, 5; 138, 7.

Pronomen *ille* hac significatione praeditum a Petronio aliis pronominibus opponitur (ε), velut 72, 6 ubi Encolpio, qui Trimalchionem et Habinnam in balneum se conicientes miratus est, Ascyltos respondet: *assentemur (ait ille) et dum illi balneum petunt, nos in turba exeamus.* 80, 9 v. 5 sq. scriptum legimus

grex agit in scaena mimum: pater ille vocatur,
filius hic, nomen divitis ille tenet.

1) ed. 4. Fr. Buecheler, Berolini 1904.

Quamquam personae hoc loco nominatae non adsunt, tamen auctor fingit eas adesse et a duce gregis eis qui spectant digito ostendi.

Hic afferendi sunt et loci 59, 1 *ille — tu;* 92, 8 *me — illum.*

Exemplum quo ratio transitionis ad demonstrationem syntacticam effectae cognoscitur ζ

Etiam rationis illius qua pronomina demonstrativa ad demonstrationem syntacticam transierunt, exemplum praebent Petronii saturae (ζ): inter orationes Phileronis et Ganymedis verba extant 44, 1 *haec Phileros dixit, illa Ganymedes,* qua sententia verba utriusque quasi ostenduntur.

Mirum est quod numquam apud Petronium forma *illic* occurrit. Nam si legimus 39, 8 *nam cancer et hoc et illoc quadrat, hoc* et *illoc,* cum *illic* nusquam nisi ad res praesentes spectet, putanda sunt adverbia[1]), nisi *huc, illuc* ipsa substituere praefers, quod tamen dissuadeo. Adverbia enim semper — praeter nonnullos apud Plautum locos ubi *illi* pro *illic* scriptum est — syllaba *-ce* aucta sunt.

De demonstratione syntactica. κ

Substantivum *ille* saepissime ad nomen spectat quod antecedit (κ): 7, 1 *‚rogo, inquam, mater, numquid scis ubi ego habitem?' delectata est illa urbanitate tam stulta et ‚quidni sciam?' inquit* . . . ib. §§ 4 sq. . . . *et per medium lupanar fugere coepi in alteram partem, cum ecce in ipso aditu occurrit mihi aeque lassus ac moriens Ascyltos . . . sudorem ille manibus detersit et ‚si scires, inquit, quae mihi acciderunt.' ‚quid novi, inquam ego?' at ille deficiens ‚cum errarem, inquit . . .'* Ut in his, ita multis in aliis exemplis *ille* ad nomina appellativa refertur, plerumque tamen ad nomina propria, et semper fere nominativus. Rarissime contra vim antiquam praebet, qua notio pluribus verbis expressa in memoriam revocatur (λ). Quae res certum indicium est quo cognoscamus populum pronomen *ille* debilitantem pro pronomine personali tertiae personae habuisse. De hac quidem re postea dicendum est.

1) cf. Guericke l. l. 10.

λ Adest forma (λ) 44, 4—5: *o si haberemus illos leones, quos ego hic inveni, cum primum ex Asia veni. i l l u d erat vivere.* Ganymedes de annona praesenti questus tempora laudat ea, quibus victum sibi comparabant homines robusti („leones") quantus cuique placebat. Quam rationem vivendi respiciens, pronomen *illud* adhibet.

Similiter neutrum *illud* plura verba quae praecedunt complectitur 111, 5: res est de matrona, quae virum mortuum dolore commota in conditorium prosecuta est „positumque in hypogaeo Graeco more corpus custodire ac flere totis noctibus diebusque coepit", ibique mortem inedia persequens „quintum iam diem sine alimento trahebat"; *una igitur in tota civitate fabula erat, solum i l l u d affulsisse verum pudicitiae amorisque exemplum omnis ordinis homines confitebantur.* Adde 113, 2 et 44, 16 *omnia illa.* Omnes hi sunt eiusdem ordinis loci; semper neutrum adhiberi videmus, quod significatione magis communi praeditum vestigia antiqui usus diutius servavisse facile intellegimus.

Cum adiectivo multo saepius Petronius substantivum coniungit, quo signa verbis antecedentibus data in unum contrahuntur; duobus locis, quantum quidem videam, fit, ut substantivum ipsum iuxta pronomen *ille* repetatur (ξ): 63, 10 *ceterum b a r o i l l e l o n g u s post hoc factum numquam coloris sui fuit;* substantivum *baro* legitur 63, 7, adiectivum *longus* 63, 5. — Alter locus extat 110, 5 *sed huic tristitiae eadem i l l a succurrit a n c i l l a,* quae ancilla iam 110, 1 nominata est.

ξ

ο Elegantiorem illam rationem dicendi (ο) invenimus 23, 2 *intrat cinaedus, homo omnium insulsissimus et plane i l l a d o m o dignus.* Inde ab 15, 8 deversorium quoddam et hospites qui eo conveniunt describuntur diligentissime; omnia quae hac de re dicta sunt respiciens, *illa domo* verbis auctor utitur. — c. 36, 7 Encolpius narrat se de rebus quas apud Trimalchionem viderit vel audierit, sed non intellexerit, ab eo qui supra se accubuerit petiisse explicationem. Imagine interpretis orta Petronius Encolpium dicentem facit 41, 2 *postquam*

itaque omnis bacalusias consumpsi, duravi interrogare i l l u m i n t e r p r e t e m meum. — c. 132, 7 de Encolpii cupiditate contumeliae cuiusdam ulciscendae verba fiunt furorque eius describitur; quam ad animi affectionem spectans auctor scribit 132, 8 v. 5 sq.

namque i l l a metu frigidior rigente b r u m a
confugerat in viscera mille operta rugis.

Similia exempla invenies 17, 7; 43, 5; 44, 10; 77, 1; 79, 8; 81, 5.

Interdum a Petronio pronomini *ille* alia opponuntur (ϱ): ϱ
c. 108 de impetu narratur, quem Lichas sociique eius faciunt in comites Encolpii, qui capillis praecisis deos nautarum offenderunt; hoc in conexu Encolpius dicit: *nihilo minus tamen perseverat dimicantium furor, i l l i s pro ultione, n o b i s pro vita pugnantibus.* — 74, 7: *subiit igitur alia classis, et i l l i quidem exclamavere ,vale Gai', h i autem ,ave Gai.'* Similes loci leguntur 45, 5; 50, 6.

Ad significationem pronominum *alter — alter* vel *alius — alius* oppositio *hic — ille* (σ) decidit 123, 218 sq.: σ

h u i c fuga per terras, i l l i magis unda probatur
et patria pontus iam tutior.

Septem talia pronomina opposita invenies 123, 226 sq.

Adiectivorum *ille — hic* oppositio (τ) semel occurrit: τ
14, 7 *nostram scilicet de more ridebant invidiam, quod p r o i l l a p a r t e vindicabant pretiosissimam vestem, p r o h a c pannuciam ne centonibus quidem bonis dignam.*

Transeundum est ad determinationem quae pronomine *ille* fit apud Petronium. Exempla omnis generis extant plurima: **De determinatione.**

1. forma (φ): 36, 8 *at ille, qui saepius eiusmodi ludos spectaverat ,vides, inquit, i l l u m q u i obsonium carpit: Carpus vocatur'.* Quae verba inter duos convivas de servo quodam praesenti dicuntur. Similiter dictum est 38, 7 *vides i l l u m q u i in imo imus recumbit.* Idem usus occurrit 38, 11; 106, 3. φ

ω 2. forma (ω): 39, 3 *rogo, me putatis illa cena esse contentum, quam in theca repositorii videratis,* quae verba dicere videtur Trimalchio, cum servum ferculum tollentem oculis sequatur. — Alter locus legitur 89, 1, ubi Eumolpus in pinacotheca tabulam quandam monstrans Encolpio dicit: *sed video te totum in illa haerere tabula, quae Troiae halosin ostendit.*

ββ 3. forma (ββ): 61, 2 *narra illud, quod tibi usu venit;* 73, 3 (Trimalchio) *coepit Menecratis cantica lacerare, sicut illi dicebant, qui linguam eius intellegebant. illi* hoc in enuntiato non de amicis Trimalchionis supra nominatis, sed universe de hominibus illius linguae peritis dictum esse apparet.

γγ 4. Adiectivi eodem modo usurpati exemplum (γγ) affero idem quod alia in occasione iam laudavi: 44, 4 *o si haberemus illos leones, quos ego hic inveni, cum primum ex Asia veni.* Haec dicens Ganymedes non res prius nominatas respicit; ‚leones', i. e. homines robusti, in capite quod sequitur describentur. Huc referendi sunt loci 77, 7; 78, 6; 129, 1.

δδ 5. forma (δδ): 12, 5 *nam videbatur ille mihi esse, qui tuniculam in solitudine invenerat.* Agitur de rustico qui tunicam furto sibi comparavit de quo verba facta esse necesse est in lacuna caput 12 praecedente; ad rusticum ibi nominatum *ille* spectat. — 16, 3 *mulier autem erat operto capite, illa scilicet quae paulo ante cum rustico steterat.* Eadem mulier iam 12, 3 memorata est. Alia exempla leguntur 36, 8; 90, 1; 104, 5; 119, 45 sq.; 126, 8.

εε 6. forma (εε): 22, 1 *cum Ascyltos gravatus tot malis in somnum laberetur, illa quae iniuria depulsa fuerat ancilla, totam faciem eius fuligine longa perfricuit.* Haec est ancilla quae 16, 3 a Petronio introducta est cuiusque nomen Psychen esse 20, 2 legimus. — 22, 5 *Syri illi qui venerant ad praedam, postquam deprehensos se intellexerunt, pariter secundum lectum conciderunt;* quos Syros § 3 auctor memoravit. Plura huiusmodi exempla extant, quam ut enumerare operae pretium sit.

7. Determinatur duobus locis accusativus cum infinitivo coniunctus (νν): 102, 5 *praeterea illud miror, Encolpi, tibi non succurrisse, unum nautam stationis perpetuae interdiu noctuque iacere in scapha;* 130, 4 *Illud unum memento, non me sed instrumenta peccasse.* νν

8. Oratio obliqua determinatur (ξξ) 25, 6 *hinc etiam puto proverbium natum illud [ut dicatur] posse taurum tollere, qui vitulum sustulerit.* Verba *ut dicatur* altero in codice (L) iure, ut mihi videtur, non leguntur; si genuina essent, sententia coniunctione *ut* introducta determinaretur. ξξ

Significatione ‚notissimus' praeditum pronomen *ille* etiam apud Petronium raro occurrit (ππ): 4, 3 *iam illa grandis oratio haberet maiestatis suae pondus,* i. e. notissima classicorum grandis oratio; 123, 238 sq. de Pompeio dicitur: *Ille significat notissimus.* ππ

gemino cum consule Magnus
ille tremor Ponti saevique repertor Hydaspis
et piratarum scopulus, modo quem ter ovantem
Iuppiter horruerat . . . .
. . . . *imperii deserto nomine fugit.*

Interpretandum est: ille ingens et timendus tremor quem omnes noverant etc.

Debilitata denique significatione praeditum pronomen *ille* permultis locis videmus. Ubi historiae breviores ab actoribus narratae innectuntur, plerumque *ille* scriptum legimus, rarissime *is* (ττ). In capite 43, ut exemplum afferam, substantivum *ille* extat novies, in c. 44 ter, in c. 45 septies, in c. 46 sexies, cum *is* paucissimis locis adsit: 44, 7; 45, 11; 46, 5. *Ille* pro pronomine personali ponitur. ττ

Nonnulla exempla demonstrationis supervacaneae (υυ) afferantur velim: 56, 4 *nam mutae bestiae laboriosissimae boves et oves: boves, quorum beneficio panem manducamus; oves, quod lana illae nos gloriosos faciunt.* 71, 3 *nam Fortunatam meam heredem facio et commendo illam omnibus amicis meis.* 85, 5 *si ego hunc puerum basiavero, ita ut ille non sentiat, cras illi par columbarum donabo.* υυ

Debilitata Petronii temporibus alia quoque pronomina esse eo cognoscitur, quod nulla cum differentia ponuntur:

86, 1 *si hunc, inquam, tractavero improba manu et ille non senserit, gallos gallinaceos pugnacissimos duos donabo patienti.* Simile exemplum § 4 eiusdem capitis legitur.

Qualis usus pronominis *ille* in sermone negotiali sit, ex tabulis nonnullis **leges Romanas** continentibus et ex tertio Institutionum **Gai** libro[1] cognoscamus. In legibus in XII tabulis inscriptis legitur X 9[2] *neve aurum addito. cui auro dentes iuncti escunt, ast im cum illo sepeliet uretve, se fraude esto.* Antiquissima in hac lege pronomen *ille* ratione syntactica ad rem antea nominatam *(aurum)* spectare apparet (ϰ), et id ea de causa, ne pronomen *is* bis eadem in sententia legatur. Hic solus locus est, ubi *ille* adhibetur; contra *is* saepissime positum est. Eadem fere condicio posterioribus temporibus mansit: neque in lege Acilia repetundarum neque ullo in senatus consulto annorum 568/186 usque ad annum 182 p. Chr. n. (Bruns l. l. 105–113) *ille* invenitur, si solum locum eum excipimus, quem in S. C. Macedoniano, a. 69–79 p. Chr. n. edito legimus (Bruns 111): *Cum inter ceteras sceleris causas Macedo, quas illi natura administrabat, etiam aes alienum adhibuisset: et saepe materiam peccandi malis moribus praestaret, qui pecuniam (ne quid amplius diceretur) incertis nominibus crederet: placere, ne cui ......* Hoc quidem loco significationem debilitatam esse pronomenque *ille* aeque valere atque *is* concedendum est (*vv*).

De demonstratione syntactica ϰ

Demonstratio debilitatur. *vv*

Apud Gaium quamquam hic quoque pronomen *is* saepissime, *ille* paucissimis locis usurpat, tamen *ille* paulo crebrius occurrit, plerumque scilicet vi determinandi praeditum. ϰ Formarum demonstrationis syntacticae nulla fere nisi (ϰ) invenitur: III 10 *item patruus fratris filio et invicem is illi agnatus est.* 118 sq.: *Sponsoris vero et fidepromissoris similis*

1) ed. 3. P. Krüger et Gu. Studemund, Berlin 1891.
2) C. G. Bruns, Fontes iuris Romani antiqui. Tübingen 1871.

condicio ⟨est⟩, fideiussoris valde dissimilis. Nam illi quidem nullis obligationibus accedere possunt nisi verborum . . . Fideiussor vero . . . . Adde III 161; 167.

Forma (ο) legitur III 223: *Poena autem iniuriarum ex lege XII tabularum propter membrum quidem ruptum talio erat . . . et videbantur illis temporibus in magna paupertate satis idoneae istae pecuniariae poenae.* ο

Denique forma (ϱ) hic illic obviam est; *ego — ille:* III 112 *itaque si verbi gratia ego ita stipulatus sim ‚dari spondes?', ille sic adstipulari potest ‚idem fide tua promittis?' vel ‚idem fideiubes?' vel contra.* Adde III 113. — *hic — ille:* III 51 *si vero vel huius vel illius capitis deminutio interveniat, rursus liberi libertae cognationis iure potiores habeantur;* pronomine *hic* patrona, *ille* libertina significatur. Similis locus extat § 206. ϱ

De vi determinativa saepissime conspicua. ββ

Saepissime pronomen *ille* Gaium determinandi causa posuisse supra iam memoravimus. Nonnullis locis extat forma (ββ): 33 b *nam illis quoque, qui recte facto testamento heredes instituti sunt, dat secundum tabulas bonorum possessionem* (sc. praetor); qui tamen locus non ipse traditus a Goeschenio ex Inst. 3, 9, 1 ita suppletus est. Alter locus legitur III 184 *sed et illorum sententia, qui existimaverunt, donec perferret eo quo fur destinasset, deprehensum furtum manifestum esse, ideo non videtur probari, quia . . . .*

Determinatio cum demonstratione coniuncta est (δδ): III 85 *Item si legitimam hereditatem heres, antequam cernat aut pro herede gerat, alii in iure cedat, pleno iure fit ille heres, cui cessa est hereditas, proinde ac si ipse per legem ad hereditatem vocaretur.* Pronomen *ille* eundem quem *alii* significare videmus. Adde III 194. δδ

Sententias igitur pronomine relativo introductas, si pronomine *ille* determinantur, semper ex substantivo suspendi vidimus; coniunctiones contra interdum de adiectivo *ille* dependent. Gaius cum pronomen relativum plerumque pro-

nomine *is*, raro pronomine *ille* determinet, ad cetera enuntiata determinanda fere semper *ille* adhibet:

ηη (ηη) III 141 *unde illud est, quod vulgo putant per permutationem rerum emptionem et venditionem contrahi, eamque speciem emptionis venditionisque vetustissimam esse.* III 79 *quare autem tardius viventium bonorum venditionem compleri iubet* (sc. praetor), *illa ratio est, quia de vivis curandum erat, ne facile bonorum venditiones paterentur.*

ιι (ιι) III 149 ⟨. . . *sed Ser. Sulpicius, cuius*⟩ *etiam praevaluit sententia, adeo ita coiri posse societatem existimavit, ut dixerit illo quoque modo coiri posse, ut quis nihil omnino damni praestet, sed lucri partem capiat.* Cum hoc loco *ut* consecutivum adsit, *ut* finale offertur III 194: *at illud sane lex facere potest, ut proinde aliquis poena teneatur, atque si furtum vel adulterium vel homicidium admisisset, quamvis nihil eorum admiserit.* Addendus videtur locus III 214, quem ex Digestis Krueger et Studemund in editione suppleverunt.

Casu fortasse fit, ut apud Gaium prima nobis quaestio

μμ indirecta determinata occurrat (μμ): III 103 *unde illud quaesitum est, si quis sibi et ei cuius iuri subiectus non est dari stipuletur, in quantum valeat stipulatio.* Adde III 119; 119 a; 167 a.

νν (νν) III 150 *Et illud certum est, si de partibus lucri et damni nihil inter eos convenerit, [tamen] aequis ex partibus commodum et incommodum inter eos commune esse.* Addendi sunt loci III 157. 179.

Interdum quamquam *illud* determinare quidem constat, propter lacunas quae contextum deformant non apparet, qualis sententia secuta sit; accusativum et infinitivum extitisse inde quod contextus simile initium praebet ac loci modo laudati concludimus III 69 *Item illud quoque constare videtur, si solos liberos ex disparibus partibus patronus . . . . |tant, ad eos pertinere;* 68 *Ex his omnibus satis illud apparet, si is qui Latinum fecerit . . . . .* Sententia coniunctione *an* intro-

ducta (quaestio indirecta) determinari videtur III 95 *Illud dubitari potest, si quis . . . .*

Oratio directa duobus locis pronomine *ille* determinatur (οο): III 37 *et illud convenienter, si ad agnatum iure civili* οο
pertinet hereditas et is adierit hereditatem, sed bonorum possessionem petere noluerit, et si quis ex proximis cognatus petierit, sine re habebit bonorum possessionem propter eandem rationem. Cur *illud* a Goeschenio in suspicionem vocetur, causa non est; verba *et illud* ad tertium modum, quo quis possessionem bonorum adeat, spectant (1.: § 35 *ita datur bonorum possessio, ut . . .* 2.: § 37 *Idem iuris est, si . . .* 3.: ib.: *et illud convenienter*). Similis breviloquentia etiam aliis in commentariis extat, velut apud Porfyrionem 200, 21 *Sed et illud signate, quod ‚additum' dixerit.* Scilicet Porfyrio rationes enumerat, quibus Horatii descriptio ingeniosa excellat. Interpretandum igitur est: et illud convenienter, signate se habet. — Alter locus extat III 93 *at illa verborum obligatio „dari spondes? spondeo" adeo propria civium Romanorum est, ut ne quidem in Graecum sermonem per interpretationem proprie transferri posset, quamvis dicatur a Graeca voce figurata esse.*

In sermone negotiantium ita ut expectavimus pronomen *is* plenam vim antiquiorem servavisse, pronomen vero *ille* demonstrativum, fortasse quod longius erat, evitatum esse observavimus; sententiae autem de coniunctionibus dependentes fere semper pronomine *ille* determinabantur.

Secundo post Christum natum saeculo etiam **Apuleius** Madaurensis libros composuit, ex quibus Metamorphoseon ll. I—III pronominis *ille* usum observans perlegi. Ad rem oculis subiectam, quoniam ab eo historia narratur, *ille* rarissime spectat; *illic* ne apud eum quidem extat. Hac significatione prae- ***Ille* rem oculis subiectam respicit.**
ditum substantivum (α) occurrit hoc unico loco I 10 *Et sic illa*
propitiata totam civitatem absolvit. Aristomenes negotiator qui- α
dam de re referens, quae sibi et Socrati contubernali acciderit,

narrat illum facta sagae cuiusdam, quam monstraverit (c. 8), memoravisse. Quo in conexu verba allata leguntur.

γ Forma (γ) paulo crebrius obviam est: I 8 *potens illa et regina caupona quid mulieris est?* Verba sunt Aristomenis qui eodem in conexu a Socrate quaerit, quae sit mulier, quam ille ostenderit. Adde I 11 *anus illa;* I 23 (bis) *illud cubiculum;* II 22 *custodela illa feralis.*

ε Pronomini *ego* opponitur *ille* eadem ratione usurpatum (ε) III 7 *ego quidem pro hospitis salute et homicida sum et reus capitis inducor, at ille non contentus quod mihi nec adsistendi solacium perhibuit, insuper exitium meum cachinnat.* Lucius hominibus quibusdam interfectis expectans se capitis damnatum iri, postquam Thessalorum qui in forum convenerant animos laxare conatus est, populum aspicit omnem ridentem. Inter eos qui rident et Milonem hospitem, cuius servandi causa nocte proxima illos necavit, videt itaque secum loquitur ut supra memoravi.

De vi demonstrativa.

κ Saepissime ad rem nominatam spectat pronomen *ille.* Extat forma (κ), ubicumque *ait* vel *inquit* cum pronomine quasi subiecto coniunguntur: I 7 *At ille ut erat capite velato ,sine sine' inquit ,fruatur diutius tropaeo Fortuna quod fixit ipsa.'* II 20 *At ille ,tu quidem domina' ait ,in officio manes sanctae tuae bonitatis sed ferenda non est quorundam insolentia.'* Similiter dictum est I 7 *iam dicacitas tinnula, cum ille imo de pectore cruciabilem spiritum ducens, dextra saevienite frontem replaudens ,me miserum' infit ,qui . . .'* III 20 *,Quam vellem' respondit illa ,praestare tibi, Luci, quod cupis'.* Hac in coniunctione pronomen *ille* tanta constantia ponitur, ut verbum dicendi interdum ab auctoribus iam non expressum formis *ille, illa* contineatur: I 5 *At ille ,istud quidem quod polliceris aequi bonique facio . . .'* II 20 *sic ille commotus.* Addendi sunt multi loci, velut I 8; 17; 18; II 2; 10; 13; 21; 22; 23; 24; III 15.

Alia huius usus exempla extant I 7 (6, 14) *et statim miser ut cum illa adquievi, ab unico congressu damnosam ac pestilentem con⟨suetudinem⟩ contraho.* Dicitur de Meroe anu antea nominata.

Plerumque *ille* sic adhibitum ad homines nomine proprio appellatos spectat: I 9; 13; 18; 19 (bis); II 7; 8; 13 (bis); 21; 25; 27; 29; III 4; 18; 25; rarissime ad homines incertos: II 8 *si cuiuslibet eximiae pulcherrimaeque feminae caput capillo spoliaveris et faciem nativa specie nudaveris, licet illa caelo deiecta, mari edita, fluctibus educata, licet inquam Venus ipsa fuerit . . . placere non poterit nec Vulcano suo.* Pronomen *illa* ad verba *cuiuslibet feminae* referendum esse necesse non est notare. — II 21 *. . . meritoque ignoras Thessaliae te consistere, ubi sagae mulieres ora mortuorum passim demorsitant, eaque sunt illis artis magicae supplementa.* Pronomen *illis* sagas antea nominatas significat. — III 4 *ac me statim praeco, siquid ad ea respondere vellem, iubebat incipere . . . . sed tamen oborta divinitus audacia sic ad illa ,Nec ipse ignoro' ⟨inquam⟩ . . .*

Forma (λ) uno loco adesse videtur: I 15 *Illud horae memini me terra dehiscente ima Tartara inque his canem Cerberum prorsus esurientem mei prospexisse.* Respicitur tempus illud quo res capitibus prioribus narratae acciderunt. Si structuram grammaticam sensui postponimus, dicendum est *illud horae* pro verbis *illa hora* scripsisse Apuleium neque substantivum, sed pronomen attributo auctum, i. e. adiectivum adesse. λ

Duobus locis forma (ν) invenitur: I 12 *Infit illa cum gladio;* II 29 *Suscipit ille de lectulo.* ν

Substantivum *ille* igitur semper ad substantivum antea nominatum, numquam ad notionem pluribus verbis circumscriptam referri videmus, id quod apud Petronium quoque cognovimus. Pronomen ita debilitatum vim antiquam secundo saeculo non recuperasse, sed pro pronomine personali poni perrexisse libris Apulei examinatis statuimus.

Adiectivum *ille* multo crebrius extat quam substantivum, sed hoc quoque vi minore ornatum quam apud priores auctores, etiam ipsum apud Petronium. In libris scilicet quos perlegimus numerus locorum ubi substantivum antecedens iuxta pronomen *ille* repetitur fere idem est atque eorum quibus

novum substantivum inducitur; cum in Petronii saturis duo loci extent, in Apulei Metamorphoseon libris I—III viginti duo eius generis computavi exempla (ξ): I 9 *alium . . . in arietem deformavit* (saga) *et nunc aries ille causas agit.* I 24 *His actis et rebus meis in illo cubiculo conditis pergens ipse ad balneas, ut prius aliquid nobis cibatui prospicerem, forum cupidinis peto;* hoc cubiculum iam c. 23 (19, 4) nominatum est: *erit tibi adiacens en ecce illud cubiculum honestum receptaculum.* I 26 . . *iam obstinationi suae me ingratis oboedientem perducit* (Milo) *ad illum suum grabattulum* . . ., cuius memorationem c. 22 (18, 17) auctor fecit. Adde II 1 *de situ civitatis huius — nec fuit in illa civitate;* II 6; 14 (bis); 15; 27, si *senior* (43, 3) et *senex* (42, 23) eadem putes verba; 28; III, 1; 7; 9 (bis); 10; 17; 18 (bis); 23; 26 (ter).

ξ

ο Sequantur exempla formae (ο): I 9 *cauponem quoque vicinum atque ob id aemulum deformavit in ranam et nunc senex ille dolium innatans vini sui adventores pristinos in faece summersus officiosis ronchis raucus appellat.* Hic quidem locus insignis est eo, quod imago senis verbis praecedentibus minime continetur, sed in mente solius auctoris esse debuit. — ib. *iam octo annorum onere misella illa velut elephantum paritura distenditur;* notio misellae exorta est ex verbis quae praecedunt . . . *in sarcina praegnationis obsepto utero et repigrato fetu perpetua praegnatione damnavit.* — I 10 *at vero coetus illius auctorem nocte intempesta . . . ad aquas sterilem transtulit;* capite ineunte Apuleius de quibusdam civibus verba facit, qui sagam saxorum iaculationibus necandi consilium ceperunt; sagam autem illos prohibuisse, ne id quod vellent perficerent. Omnes illius consilii participes nomine communi *coetus* significantur. — Postquam c. 11 de lectulo qui nocte corruens Aristomenem quasi sepelivit dictum est, Aristomenes narrare pergit c. 12 *nam ut lacrimae saepicule de gaudio prodeunt, ita et in illo nimio pavore risum nequivi continere, de Aristomene testudo factus.* Pavorem ex simili casu nasci omnes comprehendimus; itaque pavor pronomine demonstrativo ostendi

potest. Quamquam omnes locos ita comparatos enumerare propter magnum numerum (24 exempla inveni) necesse non est.

Usum Ciceronis quo pronomen *ille* ad rem non omnibus, sed duobus tantum hominibus notam spectat etiam apud Apuleium reperimus: II 20 *fabulam illam tuam remetire.*

II 10 traditum est . . . *sed pronus in eam, qua fine summum cacumen capillus ascendit, mellitissimum illud savium impressi;* hoc loco pronomen demonstrativum *illud* verbo omnino caret, ad quod referatur; quare coniectura fortasse accipienda est quam proposuit Chr. Luetjohann: *illuc;* nam et II 7 legimus: *illuc digitum intingere.*

Oppositionis formae occurrunt (ϱ): II 3 *nec aliud nos quam dignitas discernit quod illa clarissimas, ego privatas nuptias fecimus.* Verba haec Byrrhaena de matre Luci et de se ipsa dicit. Adde III 22; 26. II 5 *nam et illa urit perpetuum* (sc. Pamphile) *et tu per aetatem et pulchritudinem capax eius es* (sc. Lucius). I 17 *Ad haec nescio an casu nostro an illius absono clamore experrectus Socrates exsurgit:* opponuntur Aristomenes qui de alto in lectum Socratis cecidit et ianitor qui magna voce clamans introrumpit. Adde I 20 *non dorso illius sed meis auribus.* ϱ

Forma (σ): II 26 *pugnis ille malas offendere, scapulas alius cubitis inpingere, palmis infestis hic latera suffodere, calcibus insultare, capillo distrahere, vestem discindere.* Similes loci leguntur III 7; 10. σ

Pronomen *ille* ubi determinat numquam res quae coram sunt monstrat. **De *ille* pronomine determinativo.**

Determinatio pura obviam est, et ea adiectivo *ille* effecta (γγ): II 5 *cave fortiter a malis artibus et facinorosis illecebris Pamphiles illius, quae cum Milone isto quem dicis hospitem nupta est.* Pamphile hic primum memoratur. Altero quidem loco II 3 Byrrhaena dicit: *Ego sum Byrrhaena illa, cuius forte nomen saepicule inter tuos frequentatum educatores retines.* Haec verba sensum habent: „ego sum Byrrhaena γγ

illa tibi notissima“; Lucio autem, qui eam omnino ignorat, pronomen *illa* nihil nisi determinare videtur.

Substantivum *ille* semel determinans simulque demonstrans
δδ legitur (δδ): I 3 *At ille qui coeperat ‚ne, inquit, istud mendacium tam verum est quam . . .‘* Verba vel ipsa ostendunt illum qui loquitur antea iam nominatum esse.

εε Sex reliquis determinationis locis forma (εε) adest: I 14 *at illae probae et fideles ianuae, quae sua sponte reseratae nocte fuerant, vix tandem et aegerrime tunc clavis suae crebra immissione patefiunt.* De iisdem ianuis iam c. 11 (9, 15) verba facta sunt. — I 15 *unde autem, inquit, scio an convectore illo tuo, cum quo sero devorteras, iugulato fugae mandes praesidium?* Dicitur de Socrate qui nocte ab Aristomene iugulatus esse putatur. Addendi sunt loci I 20. 23. III 9. 18.

Sententiae de coniunctionibus dependentes pronomine *ille* apud Apuleium non determinantur.

Ille notione *notissimus* praeditum.
ππ

Nonnullis denique locis pronomini *ille* significatio *notissimus* inest (ππ): I 10 *quod consilium virtutibus cantionum antevortit et, ut illa Medea unius dieculae a Creone impetratis induciis totam eius domum filiamque cum ipso sene flammis coronalibus deusserat, sic haec . . .* III 29 *sed tandem mihi inopinatam salutem Iuppiter ille tribuit.* Pronomini hac significatione praedito interdum adiectivum eiusdem notionis additur: I 2 *a Plutarcho illo inclito;* II 24 *Diophanes ille Chaldaeus egregius.*

De pronomine *ille* debilitato et loco pronominis personalis habito supra (p. 48 sq.) iam satis disseruimus.

Apuleium igitur tractantes pronomen *ille* et substantivum et adiectivum multum de vi primitiva perdidisse apertissime cognovimus.

Secundo saeculo exeunte vel tertio ineunte **Porfyrio** commentario carmina Horatii explicavit, explanatione quam potuit brevissima singulos locos illustrans. Quamquam propter hanc breviloquentiam pronominis *is* formae abundant, tamen etiam

pronomen *ille* propter debilitationem quam subierat creberrime invenitur. Sed miro casu accidit, ut uno loco vis principalis qua res praesens ostenditur adiectivo *ille* insit (γ): 274, 26[1] *cum deprehensus a nummulario esset* (sc. Voranus), *cuius de mensa nummos subtractos in calceos sibi infarciverat, quidam iocans in eum ‚belle‘ inquit ‚si⟨c⟩ te nummularius ille exchalciaverat,‘ cum adspiratione secundae syllabae, ut simul et chalcon, id est aes, ei ablatum excalciato obiceret.*

Res praesens ostenditur.
γ

De demonstratione syntactica.
κ

Ceteroquin sola demonstratio syntactica reperitur. Substantivum *ille* ad substantivum certum spectat (κ) 68, 8 *Qui prudenter sapit, et in adversis meliora sperat, et cum prosperis rebus utitur, contraria illis, id est adversa metuit.* 336, 14: *Inter omnia, quae ex vino accidunt, etiam illius est maximum, quod vires praestat in venerem.* Iidem homines primo *hi*, postea *illi* significati sunt 56, 16 *Proculeius eques Romanus amicus Augusti carissimae pietatis erga fratres suos Caepionem et Murenam fuit, adeo ut bona sua cum his aequis partibus diviserit, quia illi bello civili erant spoliati.*

Ad notionem pluribus verbis expressam *ille* respicit (λ) λ
212, 16 *Hoc ad tempus illud refertur, quo Catilinae factio coniuravit et paene legati Allobrogum illis consenserant:* verba *Catilinae factio* animo nostro perditissimorum hominum ordinem obiciunt, ad quos demonstrativum refertur. — 224, 23 *Nam cum praedixerit a milite mercatoris sortem laudari, et a mercatore militis, item a iuris perito rustici, et ab hoc illud, ita subiunxit dictionem . . .* Copia autem locorum utriusque generis (κ, λ) tanta est, ut plura exempla afferre necesse non esse putem.

Porfyrionis proprium est, ut *ille* pro *aliquis* scribat.

Tamen proprietas quaedam Porfyrionis hic inseratur: ubi *aliquis* dicere Latini solent, interdum *ille* Porfyrio scribit. Legimus 62, 29 *Graeca figura dictum est ‚illi certat‘ pro ‚cum illo certat‘*; 186, 17 *Attende elocutionem ‚illis timet‘*

1) Pomponi Porfyrionis commentum in Horatium Flaccum. Recensuit A. Holder, Ad Aeni Pontem 1894.

per dativum casum, non ‚pro illis timet'. Aeque adiectivum usurpatur 63, 24: *‚Mero' autem sive dativo casu sive ablativo accipias, habebit suam rationem sensus: aut enim ‚illa re fregi diem' aut ‚illi rei* fregi'. 109, 30 sq. *Inane dolium. Ita autem figuravit, ut e contrario ‚plenum vas [inante] illius rei' dicitur, ut et Terentius: ‚Vini plenum'.* Porfyrio his locis non universe loquitur, sed eam rem solam respicit, quam explicaturus est itaque *ille* ponens de verbis Horatii *viridi Venafro oleo* (C. II 6, 15 sq.), *inplumibus pullis* (ep. 1, 19), *mero* (C. II 7, 6), *lymphae* (C. III 11, 26) cogitat. Coniectura igitur quam temptavit Pauly 110, 2: *plenum vas alicuius rei* opus non esse ex more Porfyrionis didicimus[1]).

Adiectivum *ille* saepe iuxta substantivum antea nominatum
ξ ipsum repetitum positum est (ξ); 64, 11 sq. scriptum legimus: *Per celerem ergo Mercurium celeritatem fugae, per id, quod ait denso aere, latebras ipsius fugae intellegi vult* .... (14 sq.) *Allegoricos significat Pompeium post fugam illam impetu quodam mentis petisse rursum partes Bruti.* 73, 9 sq. *⟨Num⟩ mirandum, si umbrae libenter illum audiunt, cum et Cerberus et angues Eumenidum stupeant admiratione carminis illius?* quibus verbis versus Horatii[2]) respicitur C. II 13, 33 *Quid mirum ubi illis carminibus stupens etc.* — 275, 21 dicitur: *Refert hac satura* (sc. I 9) *descendentem se via sacra incidisse in hominem molestum et garrulum,* quae verba septies respiciuntur: 276, 9; 22; 277, 21; 29; 278, 24; 31; 279, 22. Vocis mutandae causa bis *importunus* dicit Porfyrio: 278, 12 sq. *Hoc Horatius ad Fuscum dicit, quaerens cum eo secedere, ut eum moneret tollere aliquid causae, quae cito se ab inportuno illo avelleret;* 278, 29 sq. — Adde 195, 13 sq.; 220, 25 sq.; 259, 9 sq.; 265, 13 sq.

1) Hunc Porfyrionis usum neglexit G. Landgraf in dissertatione quam inscripsit „Ueber die Latinität des Horazscholiasten Porphyrion"; Archiv f. lat. Lex. u. Gramm. IX 549 sq.

2) Nam et ei loci hic afferendi sunt, ubi substantivum non a Porfyrione, sed ab Horatio antea nominatum est.

Adiectivum *ille* iuxta substantivum, cuius notio ex verbis antecedentibus eminet, ponitur (*o*): 67, 7 sq. *Saepe ostendit* o
Horatius in partibus Bruti se militasse. Iucunde autem a Mercurio se sublatum de illa caede dicit. Verba *illa caede* ad imaginem pugnae, quae infinitivo *militasse* vel ipsa voce Horatiana *Philippos* C. II 7, 9 continetur, referenda sunt. — 196, 8 sq. *Neapolim autem otiosam pro ‚quietam' dixit, simul quia otiosis, id est vitae quietioris aptissimus ille secessus sit.* Urbs Neapolis soli remissioni facta esse ita omnibus videbatur, ut nomen imaginem tranquillitatis, qualem senes e vita publica se recipientes amant, excitaret; itaque ad nomen Neapolis locutio *ille secessus* spectare potest. — 239, 5 sq. *Eleganter: fingo mihi in tenebris meretricem illam aliquam esse de nobilibus,* quibus verbis *ancilla* ab Horatio S. I 2, 117 nominata significatur. — 253, 18 (dicas) *mirari tamen, quomodo iudicium illud effugerit;* Porfyrio et Horatius, qui eadem verba *iudicium illud* S. I 4, 99 scribit, locum Horatianum respiciunt ib. 94 *de Capitolini furtis;* nam cum notione furti notio iudicii, in quo de eo agebatur, coniuncta est. — Adde 116, 19 sq.; 156, 20 sq.; 260, 3 sq.; 329, 20 sq.; 392, 16; 393, 19 sq.

Quamquam hic usus saepe occurrit, tamen notandum est Porfyrionem iam coepisse certa vocabula hac in re aliis anteponere, talia scilicet amplioris notionis, quae vel locum vel tempus significant. Saepissime *illa regio* reperitur, velut 41, 8 sq.: *Cales oppidum in agro Sidicino est; in illa autem regione vina Falerna nascuntur.* 116, 24 sq. *Lestrygones oppidum Campaniae Formias tenuisse dicuntur. In illa autem regione quoniam saxosa est, pretiosissimum vinum Campanum nascitur.* Adde 71, 30 sq.; 337, 26 sq. Ut verba Horatii S. I 10, 30 *Canusini more bilinguis* illustret, Porfyrio dicit 282, 17 sq.: *‚Bilinguis' dixit, quoniam utraque lingua usi sunt, sicut per omnem illum tractum Italiae* ... — Etiam crebrius *illud tempus,* inprimis ablativi *illo tempore* et *illis temporibus* leguntur: 61, 27 sq. *Apparet Cantabros, quae est gens Galliae,*

illo adhuc tempore (sc. de quo Horatii carmen II 6 agit) *indomitos fuisse, cum dicat ,et Cantabrum i. i. f. n.'*; 134, 1 *Apparet illo tempore urbis praefectum fuisse Maecenatem,* quae verba Hor. C. III 29, 25—26 explicant. 255, 24 sq. *Manifestum est illis temporibus per paludes Pomptinas non talem viam fuisse, ut vehiculis illa iri posset* (ad Hor. S. I 5, 13); 256, 18 *Merito autem ,repimus' inquit et ,inpositum saxis Anxur', quoniam illis temporibus adhuc Tarracinensis urbs in altissimo monte erat* (ad S. I 5, 25—26). Adde 263, 22; 264, 30; 268, 10; 270, 23 sq.; 273, 24 sq.; 277, 30 sq.; 283, 21; 288, 25 sq.; 306, 5; 347, 18; 356, 21; 365, 8. —

ϱ Opposita pronomina inveniuntur (ϱ): 32, 29 sq. *Non tamen ita tu timere debe[re]s, ut inuleus, quia ille periclum vitae a tigride vel a leone timet, ego te autem non ea mente persequor, ut absumam, sed ut amplectar.* 245, 3 sq. *Id est: temere nimis agimus sic iudicantes de amicis nostris, quia incipiunt et illi de nobis iudicantes eandem legem constituere.* Adde 398, 27; 403, 4.

33, 2 *quare non ut ille, ita tu matrem adhuc debes sequi.* Adde 60, 28 sq.; 403, 25 sq.

291, 2 *Aliter Horatius accepit ,mala' pro ,non bona', cum ille famosa vellet intellegi;* pronomine *ille* Trebatium designat Horatius, quocum hac in satura colloquentem se fingit. — 328, 12 *Illa enim homini subiecta esse debet, non homo illi* (sc. paupertati). Adde 156, 6 sq.; 333, 3 sq.

23, 9 sq. *Nam ut ille Casandram facit vaticinari futura belli Troiani, ita hic Proteum:* sc. Bacchylides — Horatius (ad C. I 15, 1); 153, 6 sq. *Non, inquit, multo distat ab inertia virtus, si, ut de illa, ita de hac quoque sileatur.* Adde 124, 4 sq.; 227, 25 sq.; 318, 1 sq.; 345, 17 sq.

Debilitata significatione *alius-alius* pronomina *hic-ille* a Porfyrione non usurpantur.

De vi determinativa. Longe maxime pronomen *ille* a Porfyrione determinandi causa ponitur, et ut est explicatoris et interpretis plurimis

locis demonstratio pronomini determinativo abest. Ita adhibitum invenitur substantivum *ille* (ββ): 57, 20 sq. *Solum modo* ββ *illum et divitem et regem et securum esse adfirmans, qui divitiis non invideat nec eas concupiscat.* 79, 1 sq. *Supremum iter illud dicit, quo quasi ad inferos itur.* Quamquam taedet omnia affere exempla; numero sunt, nisi fallor, XXXI.

In Porfyrionis commentario tres loci obviam sunt, ubi *ille* substantivum determinans aliis pronominibus opponitur (ζζ): 116, 16 sq. *Agellus meus . . . locupletiorem me tamen* ζζ *facit . . ., quam ille est, qui sibi clarus videtur, quod latissimas multasque habeat in Africa possessiones.* 345, 17 sq. *Hic eloquitur, quod sibi in fine voluit responderi, illum esse timidum, qui officium fugiat, illum fortem, qui subeat perferatque, ac per hoc hunc laudandum, illum vituperandum.* 403, 19 sq. *Ut ille cuius ager est, pro te dedit, ita tu pro eius partibus, id est fructu.*

Adiectivum demonstrativum ita adhibetur (γγ) 8, 17 sq. γγ *Suaviter hoc dictum secundum illam amicitiae definitionem, qua philosophi utuntur: Μία ψυχὴ ἐν δυσὶν σώμασι κειμένη.* Similiter dicitur 78, 19 sq. 66, 10 *Hoc ostendit, etiam illis amatoribus gratam eam esse, quibus fuerit iniuriosa.* Numerus horum locorum est XV.

Demonstratio cum determinatione coniuncta est (δδ) 16, δδ 29 *Bene ,iocoso'; non enim illo, quod ad avaritiae fraudem spectat . . . .* Respicitur verbum *furto,* quod legitur Hor. C. I 10, 8. — 316, 2 Porfyrio verba Horatiana *ut Attica virgo* (S. II 8, 13) explicat: *Illas dicit, quas Tullius in Verrinis Canoeforas ait.* Adde 36, 18 sq.; 90, 19 sq.; 211, 32 sq.; 219, 27 sq.; 369, 4 sq.

Forma (εε) extat: Porf. 150, 22 sq. *Sed nunc non ad* εε *illud refert, quod post distractionem illam, quam ab equis suis passus est, in vitam restitutus fertur, sed . . ;* verba sunt de Hippolyto, cuius nomine nominato (Hor. C. IV 7, 26) malus interitus ante oculos nostros versatur; ergo *ille* deter-

minativum simulque demonstrativum est. — 255, 13 sq. *I t e r autem i l l u d expeditioribus unius diei esse, q u o d ipse biduo confecerit;* dicit de via qua Horatius S. I 5, 5 per biduum se iisse narrat. — 319, 29 sq. *I n s a n i a m i l l a m, q u a m sustineo, credis mihi sollemnem factu et necessariam esse et ideo non rides;* haec explicatio ad verba *insanire putas sollemnia me neque rides* (Hor. Ep. I 1, 101) refertur. Adde 190, 22 sq.; 232, 15.

Sescenties porro enuntiata coniunctionibus introducta et oratio directa determinantur:

ηη q u o d (ηη): 94, 2 sq. *Sed quod ait ,descendente caelo'* (C. III 4, 1), *ad i l l u d pertinet, q u o d velit iam transire a Iunonis sermonibus, quos in caelo habuisse eam ostenderat.* 108, 5 sq. *,Incolis' autem ,Aquilonibus' ad i l l u d pertinet, q u o d*[1]) *dixerat ,Extremum Tanaim si biberis'* (ad C. III 10, 2—4). 182, 19 *,Pars iussa'* (C. S. 39) *autem ad i l l u d refertur, q u o d non omnes Ilienses cum Aenea fuerint, sed pars eorum alibi.* 218, 15 sq. *Sed et hoc urbanissima contumelia dicitur, quasi sub i l l a l a u d e, q u o d adeo pulchra sit, ut a multis ametur.* 233, 16 sq. *Sed i l l u d urbanius, q u o d, cum Ennius ,vultis' dixerit, hic ,non vultis'* (S. I 2, 38) *intulerit.* Praeterea octo exempla inveni.

ϑϑ c u m (ϑϑ): 208, 2 *Vel i l l u d eius quale est, c u m me quasi per blanditias corripit* (ad Ep. 12, 13).

ιι u t (ιι): 7, 25 sq. *Simul eleganter et i l l u d oblique optat, u t post excessum Augustus divus factus recipiatur in caelum.* 196, 14 *Sed i l l u d attende, u t duabus praepositionibus exaggerata sit facinoris atrocitas: ,insurrectum' pro ,valde et saepius sectum'* (ad Ep. 5, 47). Adde 216, 1.

κκ n e (κκ): 247, 9 sq. *nam i l l u d te non moneo, n e gravius puniendum ferula caedas.* Adde 265, 27 sq.; 286, 9 sq.

νν a c c u s a t i v u s c u m i n f i n i t i v o c o n i u n c t u s (νν): 401, 22 sq. *Commemoratis omnibus ⟨in⟩commodis in arte poetica*

1) Talibus locis non semper apparet *q u o d* coniunctio an pronomen sit.

constitutis i l l u d concludit n i h i l e s s e m e l i u s studio sapientiae, id est philosophiae.

O r a t i o d i r e c t a (οο) quoties determinata sit, vix οο numerari potest. Exempli causa affero 1, 20 *et benivolentiam Caesaris carmine prosecutus, ut est i l l u d:*

Neu sinas Medos agitare inultos
Te duce, Caesar.

(C. I 2, 51 sq.) — 19, 12 sq. *Nunc ,candida et benigna'* (ad C. I 12, 27), *ut e contrario i l l u d dicitur: Nigri cum lacte veneni* (Verg. Aen. IV 514). Sed iam non plura afferam exempla: quavis pagina nonnulla invenies.

De pronomine *ille* notione *notissimas* praedito.

Notio *ille notissimus* pronomini *ille* inest (ππ) 5, 22 sq.: *,Superiecto aequore' id est: super terras iacto, i l l a scilicet diluvii i n u n d a t i o n e.* 232, 32 *M a r c u s C a t o i l l e C e n s o r i n u s, cum vidisset hominem honestum e fornice exeuntem, laudavit . . .* ππ

Et substantivum ita usurpatur (ϱϱ): 215, 12 sq. *Fere* ϱϱ *autem imperitorum ac deteriorum maior modus est [hoc est in melioribus victor], ut ait i l l e: Ἐπεὶ τὰ χερείονα νικᾷ.* Dicitur de Homero.

Ille pro pronomine personali adhibetur.

Pro pronomine denique personali adhibitum legimus *ille* (σσ): 207, 8 *Porro autem elefanti feruntur aversi coire, ex quo videtur poeta dicere cum his e a m concumbere debere, quia i l l a m* σσ *non videant propter deformitatem ipsius.* 245, 22 *Denique, inquit, si non potes dissimulare vitia amicorum, saltem talia i l l a aestimato, qualia sunt, ⟨et⟩ noli e a malignitate tua augere.*

(υυ) 134, 30 sq.: *Diserte, id est, mea v i r t u t e me munio,* υυ *nihil ab i l l a timens aut desiderans, contentus sola probitate et bona conscientia.* 263, 28 sq. *Patre libertino natum esse H o r a t i u m et in narratione, quam de vita i l l i u s habui, ostendi;* quocum loco conferendus est 288, 4 sq. 375, 3 sq. *Non delendum puto L i v i u m, sed indignor i l l u m pro ⟨per⟩fecto et emendato auctore l a u d a r i.*

Quarto saeculo exeunte monacha quaedam, quam alii Silviam Gallicam[1]), alii Etheriam Hispanam fuisse credunt, **peregrinationem ad loca sancta** inceptam descripsisse videtur. Litteris minime imbuta rationem dicendi durissimam ineptissimamque praebet; inprimis pronomina demonstrativa promiscue nulla fere cum differentia adhibentur[2]). Demonstrativum *ille* ibi vim valde infirmam servavit; significatio principalis non occurrit.

De vi demonstrativa. ϰ Substantivum *ille* ad substantivum antea nominatum spectat (ϰ) II 5[3]) *specialis autem ille* (sc. mons Dei appellatur), *in cuius summitate est hic locus, ubi descendit maiestas Dei, sicut scriptum est, in medio illorum omnium est.* Respicitur initium eiusdem paragraphi, ubi de Syna monte dicitur: *Mons autem ipse per giro quidem unus esse videtur; intus autem quod ingrederis, plures sunt; sed totum mons Dei appellatur.* Eodem in conexu extant verba (§ 6): *tanto altior est omnibus illis, ut cum subissemus in illo, prorsus toti illi montes quos excelsos videramus, ita infra nos essent, ac si colliculi permodici essent.* Tales autem loci tot inveniuntur, ut plures iam non afferam.

λ Cum huius generis demonstrationis XXIX exempla numerem, quinquies *ille* ad rerum imaginem solo conexu procreatam refertur (λ): 8, 3 *Nam cuicumque incommoditas fuerit, vadent ibi et tollent surculos et prode illis est*: pronomen notiones incommoditatis, vadendi tollendique amplectitur; res est de sycomoro quae a patriarchis posita esse dicebatur. — 45, 4 *At si probaverit sine reprehensione esse de his omnibus,*

1) Joh. Franc. Gamurrini, Studi e documenti di storia e diritto anno V (1884), 81 sq.; VI (1885), 145 sq. P. Geyer, Arch. f. lat. Lex. u. Gr. IV 611—615; Kritische Bemerkungen zu S. Silviae Aquitanae peregrinatio ad loca sancta. Progr. Augsburg 1890, 5—13.

2) De latinitate huius libelli egit E. Woelfflin, Arch. f. lat. Lex. u. Gramm. IV 259—276.

3) Numeri indicant capita et paragraphos editionis quam fecit P. Geyer, Vindob. 1898 in Corpore Scriptorum Ecclesiastorum Latinorum, vol. 39.

quibus requisivit praesentibus testibus, annotat ipse manu sua nomen illius. Si autem in aliquo accusatur, iubet illum foras exire . . .; respiciuntur verba (45, 1) *qui dat nomen suum,* scilicet ut ‚baptidietur'. Adde 20, 12; 46, 2.

Ut apud Porfyrionem, ita in Peregrinatione pronomen *ille* iuxta ipsum substantivum, quod respicitur, repetitum saepe ponitur (ξ): XXVI computavi locos. Legitur 2, 3 *Et quoniam* ξ *nobis ita erat iter, ut prius montem Dei ascenderemus . . . . et illinc denuo ad caput illud vallis descenderemus, id est ubi rubus erat, quia melior descensus montis Dei erat inde: itaque ergo hoc placuit, ut . . . .*; idem caput iam nominatum est § 2 *in cuius capite.* 12, 7 *Sed mihi credite, dominae venerabiles, quia columna ipsa iam non paret . . .* (loquitur auctor puerili innocentia de columna in quam uxor Loth transmutata est). *Nam episcopus loci ipsius, id est de Segor, dixit nobis, quoniam iam aliquot anni essent, a quo non pareret columna illa. Nam de Segor forsitan sexto miliario ipse locus ⟨est⟩, ubi stetit columna illa, quod nunc totum cooperit aqua.* Reliqua exempla invenies 3, 4; 5; 7; 8; 4, 2; 5, 1; 10; 12, 9 etc.

Forma (ο) extat 12, 6: *Nam et memoriale ibi est, de ceteris* ο *autem illis civitatibus nichil aliud apparet nisi subversio ruinarum, quemadmodum in cinerem conversae sunt.* Locuta est auctor de Segor et de ceteris Sodomitum civitatibus, quas antea *terras* nominavit. — Reliquis locis substantiva, id quod iam apud Porfyrionem vidimus, vel locum vel tempus significant: 21, 5 *Ac sic ergo in nomine Dei pervisis omnibus faciens vale sancto episcopo et sanctis monachis, qui nos usque ad illum locum deducere dignati fuerant, regressi sumus per iter vel mansiones, quas veneramus de Antiochia;* dicitur de puteo Jacob. — 19, 11 *Nam monticulum istum, quem vides, filia, super civitate hac, in illo tempore ipse huic civitati aquam ministrabat,* sc. quo Persae impetum antea narratum faciebant. Adde 19, 14. — 24, 12 *Mox autem recipit se episcopus in domum suam, et iam ex illa hora revertuntur omnes monazontes ad Anastasim et psalmi dicuntur.* Adde 33, 1; 36, 3;

47, 2. — 36, 3 *specialiter illa die nullus recedit a vigiliis usque in mane,* scilicet quae celebratur ratione modo descripta. Adde 25, 8.

De vi determinativa.

Substantivum igitur et adiectivum *ille* vim demonstrativam minimam servavisse, praeterea adiectivum *ille* multo crebrius quam substantivum occurrere vidimus; etiam determinativum plerumque cum eadem demonstratione molestissima atque demonstrativum coniungitur. Determinatio pura satis rara
ββ est; occurrit forma (ββ) 20, 5 *Hoc autem nobis satis gratum evenit, ut pridie martyrium die ibi veniremus, id est sancti ipsius Helpidii, nono k. maias, ad quam diem necesse fuit undique et de omnibus Mesopotamiae finibus omnes monachos in Charra descendere, etiam et illos maiores, qui in solitudine sedebant, quos ascites vocant . . . .* De hoc monachorum genere antea nondum dictum est, ita ut demonstratio omnino absit. 28, 4
ζζ *Nemo autem exigit, quantum debeat facere, sed unusquisque ut potest id facit, nec ille laudatur, qui satis fecerit, nec ille vituperatur, qui minus.* Loquitur auctor de tempore quadragesimarum, quo non manducare christiani solebant. Exemplum eo insignitur, quod pronomina determinativa in oppositione sunt (ζζ).

γγ Forma (γγ): 3, 7 *Nam ostenderunt* (monachi) *nobis speluncam illam, ubi fuit sanctus Moyses, cum iterato ascendisset in montem Dei, ut acciperet denuo tabulas, posteaquam priores illas fregerat peccante populo . . .*; 3, 8. — *et mare illud Parthenicum, quod mittit Alexandriam, nec non et fines Saracenorum infinitos ita subter nos inde videbamus, ut credi vix possit;* 5, 6 *Item ostenderunt torrentem illum, de quo potavit sanctus Moyses filios Israhel, sicut scriptum est in Exodo.* Adde 19, 11; 20, 4; 21, 2; 3; 30, 3; 37, 1; 3; 44, 6. Occurrunt et hic illa substantiva, quae notione ampliore praedita crebrius posita esse superiore iam capite memoravimus, velut *hora locus:* 25, 12 *Nam ex illa hora, qua omnes nocte in Ierusolima revertuntur cum episcopo, tunc loci ipsius monachi, quicumque sunt, usque ad lucem in ecclesia in*

Bethleem pervigilant ymnos seu antiphonas dicentes, quia episcopum necesse est hos dies semper in Ierusolima tenere. — 2, 2 *Haec ergo vallis ipsa est, in cuius capite ille locus est, ubi sanctus Moyses cum pasceret pecora soceri sui, iterum locutus est ei Deus de rubo in igni.* Adde 5, 7; 8; 9; 10, 3; 20, 12. Idem substantivum ita adhibetur, ut locum ex libro sumptum significet: 29, 5 . . . *subit presbyter in altiori loco et leget illum locum, qui scriptus est in evangelio: ,Cum venisset Iesus in Bethania ante sex dies paschae' et cetera.* 31, 2 *Et iam cum coeperit esse hora undecima, legitur ille locus de evangelio, ubi infantes cum ramis vel palmis occurrerunt Domino dicentes: ,Benedictus, qui venit in nomine Domini';* talia duodecim computo exempla.

Ut determinatio pura, ita determinatio mixta plerumque adiectivo efficitur. Forma (δδ): 2, 6 *tamen ipse ille medianus,* δδ
in quo descendit maiestas Dei, tanto altior est omnibus illis, ut . . .; dicitur de monte Syna; cf. 3, 1; 6.

Adiectivum sic usurpatur tricies (εε): 1, 1 *Interea ambulantes* εε
pervenimus ad quendam locum, ubi se tamen montes illi, inter quos ibamus, aperiebant et faciebant vallem infinitam ingens . . .; hos montes antea nominatos esse conexus docet; verba tamen non extant, nam initium codicis omnino excidit; eadem lacuna causae fuit, quod non cognoscimus, utrum determinatio pura an mixta adsit 1, 2 *In eo ergo loco cum venitur, ut tamen commonuerunt deductores sancti illi, qui nobiscum erant, dicentes: consuetudo est, ut fiat hic oratio . . .* Certum vero exemplum extat eodem in capite (1, 2): *Habebat autem de eo loco ad montem Dei forsitan quattuor milia totum per valle illa, quam dixi ingens;* respiciuntur verba quae supra laudavi 1, 1. — 8, 5 *Ipse ergo cum se dignatus fuisset vexare et ibi nobis occurrere, singula ibi ostendit seu retulit* (episcopus) *de illas statuas, quas dixi, ut etiam et de illa arbore sicomori;* dicitur de statuis, quas in honorem Moysi et Aaron in civitate Ramesse filios Israhel posuisse auctor 8, 2 narravit. Quamquam plura exempla dare taedet.

Sentententiae coniunctionibus introductae determinantur:

ηη formae (ηη) 33, 1 *I l l u d solum additur tertia feria, q u o d nocte sera, postea quam missa facta fuerit ad Martyrium et itum fuerit ad Anastase et denuo in Anastase missa facta fuerit, omnes illa hora noctu vadent in ecclesia, quae est in monte Eleona.*

ιι (ιι) 2, 7 *Illud sane satis admirabile est et sine Dei gratia puto i l l u d non esse, ut cum omnibus altior sit ille medianus* (sc. mons), *qui specialis Syna dicitur, id est in quo descendit maiestas domini, tamen videri non possit* . . . Adde 19, 19; 47, 5.

μμ (μμ) 20, 12 *I l l u d etiam requisivi a sancto episcopo, u b i n a m e s s e t l o c u s ille Chaldaeorum, ubi habitaverant primo Thara cum suis.* Adde 41, 1.

ξξ Oratio obliqua ex *illud* suspenditur (ξξ): 3, 8 *I l l u d autem vos volo scire, dominae venerabiles sorores, q u i a de eo loco, ubi stabamus . . . . ita infra nos videbantur esse illi montes* . . . 19, 14 *I l l u d etiam retulit sanctus episcopus, e o q u o d hii fontes ubi eruperunt, ante sic fuerit campus intra civitatem subiacens palatio Aggari.* Et 14, 5; 19, 17 oratio indirecta coniunctione *eo quod* introducta pronomine *illud* determinatur.

Pronomini notio *notissimus* inest.

ππ Notio *notissimus* pronomini inest (ππ) 5, 3 *Monstraverunt etiam locum, ubi factus est v i t u l u s i l l e,* sc. vitulus aureus; 38, 2 . . . *et ibi denuo legitur i l l e l o c u s evangelii resurrectionis.*

Ille pro pronomine personali scribitur.

σσ Pronomen personale tertiae personae est secundum formam (σσ): 2, 7 . . . *tamen videri non possit, nisi ad propriam radicem illius* (sc. montis) *veneris, ante tamen quam e u m subeas; nam posteaquam completo desiderio descenderis inde, et de contra i l l u m vides, quod, antequam subeas, facere non potes;*

υυ secundum formam (υυ): 24, 11 *Lecto ergo evangelio exit e p i s c o p u s et ducitur cum ymnis ad Crucem et omnis populus c u m i l l o.* 29, 4 *Ibi ergo cum venerit e p i s c o p u s, occurrent i l l i omnes monachi.* Adde 23, 3; 37, 8.

Ille videtur esse articulus.

φφ Denique articulum (φφ) uno quidem loco adesse affirmaverim: 39, 1 *Sero autem i l l i d i e s p a s c h a l e s sic attenduntur quemadmodum et ad nos et ordine suo fiunt missae per octo dies paschales, sicut et ubique fit per pascha usque ad octavas.*

Quamquam auctor 27, 1 locuta est: *Item dies paschales cum venerint, celebrantur sic,* tamen hic locus non respicitur; nam c. 27 de omnibus diebus cogitat, qui diem festum ipsum praecedunt et qui sequuntur. In capite autem 38, ubi de sola septimana quae diem festum praecedit et de vigiliis dicitur, nullum extat verbum, ad quod illi referatur.

Pronomen *ille* multo plus de vi antiqua perdidisse quam saeculo praeeunte iam cognovimus.

Postremo huius opusculi loco de **Gregorio Turonensi** episcopo disseremus, qui sexto saeculo cum alia tum celeberrimam Historiam Francorum composuit; quibus ex libris tertium perscrutati sumus. Gregorius quoque, quoniam historiographus est, pronomen *ille* non primitiva cum significatione ad rem quae coram est, sed ad rem antea nominatam refert. Extat forma (κ) III 1 (109, 14 sq.)[1]: . . . *Amalricus, filius Alarici, rex Hispaniae sororem eorum in matrimonio postulat, quod i l l e clementer indulgent* . . . .; pronomen *ille* (= *illi*) ad fratres spectat, quorum nomina capite ineunte enumerata sunt: Theudoricus Chlodomeris Childebertus atque Chlothacharius. — c. 2 (110, 8) *Qui* (= *cui*) *i l l e ,Quid ego' inquit ,praestabo . . .',* quae verba de sancto Quintiano p. 110, 3 nominato fiunt. Eodem in capite scriptum legimus 110, 10 *I l l e autem haec audientes, Apollonarem ad regem dirigunt;* hoc de Alchima et Placidina, uxore sororeque Apollonaris, supra nominatis dicitur.

De vi demonstrativa.

κ

Pronomen *ille* sic adhibitum quamquam satis crebro scribitur, tamen numquam ad rem spectat, quae non nominata est, sed ex verbis praecedentibus animo fingitur; inde a Petronio hunc pronominis usum paulatim neglectum esse statuere poteramus. Praeterea apud Gregorium semper fere

1) ed. W. Arndt et Br. Krusch, Hannoverae 1884 in ,Monumenta Germaniae historica'; Scriptorum rerum Merovingicarum I 1.

nominativus *ille* occurrit, et formae pronominis — paucissimis locis exceptis: c. 12 (118, 18); c. 19 (129, 18), ubi civitates nomine proprio ante nominatae significantur — ad homines tantum referuntur. Haec omnia indicant vim pronominis *ille* multo magis minutam esse Gregorii quam priorum temporibus.

Saepissime adiectivum *ille* obviam est. Gregorius quoque vi demonstrationis debilitata multis locis cogitur ratione
ξ inurbana substantivum demonstratum ipsum repetere (ξ): III 2 (110, 15) . . *eum* (sc. Quintianum) *in cathedra Arvernae eclesiae locaverunt; qui quartus decimus ecclesiae illi praepositus est.* — III 7 (115, 22) . . . *expansumque in parte domus illius tenturium de uno pariete in altero, armatus post eum stare iubet. Cumque tenturium illud esset brevior, pedes armatorum apparuere detecti.* — III 12 (118, 15) . . . *Bituricas urbem petiit. Erat autem tunc temporis urbs illa in regno Childeberti regis.* — III 15 (122, 21) *Veni mecum et venunda me in domo barbari illius;* ib. 123, 20 *Vocaverat enim barbarus ille multos parentum suorum ad aepulum:* uterque locus ad 122, 15 spectat: *Erat enim* (Attalus) *intra Treverici termini territurio cuidam barbaro serviens.* — ib. (122, 20–23): *hominem quendam — homo ille;* c. 28 (132, 23) . . . *in silva confugit et concides magnas in silvas illas fecit.*

Ei loci, ubi substantivum notionem e conexu eminentem
ο exprimit (ο), rari sunt: III 4 (111, 5) *Porro tunc apud Thoringus tres fratres regnum gentis illius retinebant.* III 7 (115, 21 sq.) (Theudericus) *eum* (Chlothacharium) *ad se vocat, quasi secricius cum eo aliquid tractaturus expansumque in parte domus illius tenturium de uno pariete in altero, armatus post eum stare iubet;* quod nusquam nisi in aedificio colloqui solent principes, imago domus sua sponte in mente auctoris procreata est, ita ut eam demonstrativo respicere possit. Adde III 12 (118, 14); 14 (122, 3 sq.); 16 (126, 3).

Plerumque hac in re a Gregorio, id quod iam in Porfyrionis commentario vidimus, eadem semper et amplissimae

notionis substantiva adhibentur, velut *locus regio tempus dies* etc.: III 32 (136, 3): *Theudobertus vero in Italia abiit et exinde multum adquisivit. Sed quia loca illa, ut fertur, morbida sunt, exercitus eius in diversis febribus corruens vexabatur; multi enim ex his in illis locis mortui sunt.* — *Ille locus* legitur etiam III 15 (125, 1); 21 (130, 11); 28 (133, 14); 29 (134, 2). *Regio illa* hoc modo dictum est III 7 (115, 14): . . . *tanta caedes ex Thoringis facta est . . . Patratam ergo victuriam, regionem illam capessunt et in suam redigunt potestatem;* III 9 (116, 19); 12 (118, 19). Eadem ratione usurpantur verba *in illis partibus* III 3 (110, 19).

Illa dies extat III 9 (116, 19 sq.): *Ille quoque nec moratus Arvernus vadit. Tantaque in illa die condensa fuit nebula, ut nihil super duabus iugeri partibus discerni possit;* III 13 (119, 7); 23 (131, 3).

Hanc quoque speciem demonstrandi apud Gregorium de vi priore aliquantum perdidisse constat.

Opponitur pronomen *ille* semper fere pronominibus personalibus (ρ), unde idem apparet, quod supra statuimus: vim ρ
esse valde minutam ita ut demonstrativum substantivum factum sit pronomen personale tertiae personae. Tamen miror quod pronomina *hic-ille* opposita nusquam pronomina *alius-alius* adaequant; ut hoc genus oppositionis in tertio libro desit, fortasse casu fit.

Legimus III 2 (110, 4) *Permittat, inquiunt, pietas tua servo tuo Apollonari locum huius honoris adipisci. Ille vero, cum ad hunc apicem ascenderet, sicut tibi placitum fuerit obsequitur; tu quoque imperabis et ille tuae parabit in omnibus iussioni.* 14 (120, 13) *Sic enim mihi solium regni debetur, ut ille* (mihi — Munderico; ille — Theuderico). Similia exempla invenies c. 5 (112, 11); 11 (118, 3); 14 (120, 14); 23 (131, 7). Pronomina *hic-ille* semel quantum quidem videam opponuntur: c. 31 (136, 1 sq.) *At ille super thesauros Chlodomeris adgressus, multum illis amplius, quam hi fraudaverant, abstulit.*

De vi determinativa

γγ

Determinationis causa pronomen *ille* vel rarissime ponitur; extat forma (γγ) III 31 (135, 4): *veninum in calice illo posuit, de quo mater cummonicatura erat,* qui calix antea nondum memoratus est.

εε

Forma (εε): III 15 (125, 4) *Erat enim barbarus ille, qui haec agebat, dominus eorum;* de barbaro et de verbis quae loquitur brevi ante Gregorius narravit.

λλ

Denique sententia coniunctione *si* introducta, id quod adhuc nusquam invenimus, semel occurrit determinata (λλ): III 34 (137, 23) *illud mihi sufficit, si dispensatione tua pauperes, qui oppraemebantur inopia, per tuam suggestionem vel per meam largitatem sunt relevati.*

Locus ubi *ille* significationem *ille notissimus* praebeat non extat.

De pronomine *ille* pro pronomine personali adhibito.

De pronomine *ille* pro pronomine personali adhibito supra (p. 67) iam nonnulla protulimus; ubi substantivum positum est (formae ϰ, ϱ), ibi semper fere significationem debilitatam esse ostendimus. Eo quod iuxta pronomen *is* demonstrativum

σσ

reperitur, opinio nostra confirmatur (forma σσ): III praef. (108, 11) *Vellim, si placet, parumper conferre, quae christianis beatam confitentibus Trinitatem prospera successerint . . . . Omittamus autem, qualiter illam Abraham veneratur ad elicem . . . vel qualiter eam Aaron portat in logium.* c. 10 (117, 6 sq.) *Nam plerumque procedente illa ad sanctam ecclesiam, stercora et diversos fetores super eam proieci imperabat* (sc. Chlotchildem). c. 28 (133, 3 sq.) *Cumque hi venientes cum exercitibus suis eum* (sc. Chlothacharium) *obsederent, tractantes illum die sequenti interficere, mane facto, in loco, quo erant congregati, orta tempestas tentoria dissicit, res diripit et cuncta subvertit.* cf. exemplum quod supra memoravimus III 1 (109, 14 sq.).

νν

Abundans demonstratio quidem est (νν) III 7 (114, 16 sq.) . . . *recolite, Thoringus quondam super parentes nostros violenter advenisse ac multa illis intulisse mala; illis* omnino idem valet atque pronomen personale *eis.*

Pronomina *ille* et *is* ideo saepe distinguuntur, ut homines varii varie significentur neve plures formae eiusdem pronominis orationem nimis inelegantem reddant; hac sola de causa opinor factum est, ut e. g. legamus c. 22 (131, 1 sq.) *at ille speciosam eam cernens, amore eius capitur, suoque eam copulavit stratu.*

Ille videtur esse articulus.

Uno loco pronomen *ille* minima cum demonstratione usurpatur et fere nihil habet quo referatur, ita ut de articulo [1] cogitare audeamus (φφ): III 32 (136, 8): *Qui minorem illam Italiam captam atque in ditionibus regis antedicti redactam, maiorem petiit.* Antea de Italia quidem locutus est auctor, neque vero de Italia minore; ad verba *usque Ticinum civitatem* quae est Pavia spectare Gregorium vix serio affirmet quis. Itaque hic articulus adesse videtur.

φφ

In libris igitur Gregorii Turonensis si ex uno libro de omnibus coniecturam facere licet pronomen *ille* substantivum numquam fere demonstrativum, sed pronomen personale esse cognovimus; adiectivo *ille* hic illic facultas demonstrandi inest; vis determinandi omnino fere periit. Gregorius autem quippe qui rationem dicendi auctorum latinitatis optimorum imitari didicerit, pronomini vim maiorem quam populus sine dubio tribuit; populi igitur sermo cottidianus, si occasio perscrutandi esset, multo apertius detegeret, quam parva esset sexto p. Chr. n. saeculo re vera vis pronominis *ille.*

Id quod dissertatione resultat.

Antequam hoc opusculum finiamus, id quod disputatione cognovimus breviter ac summatim componere decet. Forma pronominis plenior *illic* res nullas nisi quae coram sunt spectat; propterea comoediis Plauti Terentiique et Catonis de re

---

1) M. Bonnet, Le Latin de Grégoire de Tours. Paris 1890, p. 258: Chez Grégoire, les articles ne sont pas faits, loin de là. Mais on les voit venir. *Ille* et *unus* plus d'une fois sont employés de telle façon qu'on les traduira plus exactement par: le et un, que par: ce et un seul.

rustica libro exceptis in litteris omnino periit; itaque res praesentes postea non pronomine *illic*, sed *ille* significantur, velut in Petronii saturis. Idem pronomen *ille* quamquam omnibus temporibus hanc vim principalem servavit, tamen in libris qui traditi sunt, quippe quibus res gestae narrari soleant, raro hac notione ornatum est.

Ratione syntactica pronomen *ille* iam apud Plautum eas res respicit, quae non prae oculis, sed quae antea nominatae sunt; paulatim ad res ne nominatas quidem refertur, sed ad res quae e solo conexu eminent. Plautus substantivum *ille* interdum ita usurpat, nondum adiectivum. Inde a Cicerone hunc usum et substantivi et adiectivi demonstrativi crebrius obvium esse docuimus; apud Ciceronem et ipso in libro de bello Hispaniensi conscripto adiectivum quidem elegantiore hac ratione semper fere adhibetur. In sermone populari hunc usum rariorem fuisse Petronii saturae ostendunt, ubi substantivum *ille* numquam fere, adiectivum saepe ita usurpetur; eadem est condicio librorum Appulei. Porfyrio et substantivum et adiectivum *ille* ad nomen sive ipsum nominatum sive cuius notio e conexu concluditur, refert, ita tamen ut ubi adiectivum *ille* iuxta substantivum antea non nominatum, sed cuius notio e verbis antecedentibus eminet, ponit, nonnulla vocabula praeferat, velut *regio tempus* similia. Mulier quae quarto saeculo ‚Peregrinationem ad loca sancta' conscripsit, plerumque pronomen *ille* ad res ante memoratas refert; elegantior illa demonstratio apud eam rarissima est et, ut apud Porfyrionem, adiectivum *ille* nusquam fere nisi ante nonnulla substantiva amplissimae significationis velut *locus tempus* reperitur. Apud Gregorium denique — in libro quidem quem perscrutati sumus — ad rem verbis antecedentibus circumscriptam numquam refertur substantivum *ille*, adiectivum ad ea fere sola nomina quibus amplissima significatio inest. Substantivum igitur *ille* prius quam adiectivum maiorem hanc vim sibi paravisse, prius autem etiam perdidisse intellegitur.

Iuxta adiectivum *ille* a Plauto substantivum ipsum, quo respicitur, hic illic repetitur. Haec structura quippe nimis dura apud eos tantum scriptores qui non idonei fuerunt libris conscribendis, velut apud Vitruvium, invenitur; apud Ciceronem vel in epistulis rarissima est; neque apud auctorem belli Hispaniensis neque apud Petronium praeter paucissimos locos *ille* ita adhibetur; inde ab Apuleio usus de quo dicimus crebrius occurrit, saepe in Porfyrionis commentario, saepius in ‚Peregrinatione' et in libris Gregorii extat.

Quibus ex rebus apertissime apparet substantivum et adiectivum *ille* demonstrativam vim initio amplificavisse, paulatim vero perdidisse ita ut substantivo sexto iam saeculo post Christum natum exeunte nulla fere, adiectivo minima quidem vis demonstrativa inesset.

In sermone negotiali pronomen *ille* non demonstrandi, sed determinandi causa poni solebat, velut in libris Institutionum Gai.

Omnes demonstrationis species cum determinatione coniungi possunt; pura determinatio rarior est quam ea determinatio quam mixtam appellavi. Pronomini *ille* vis praecipue determinativa inest in commentariis sive Porfyrionis in Horatii carmina sive Gai in leges Romanas conscriptis. Gregorius pronomine *ille* raro determinat. In universum enuntiata pronomine relativo introducta pronomine hoc introducuntur, sed iam inde a Plauti temporibus etiam alia enuntiata determinantur sive principalia sive de coniunctionibus dependentia; primo scilicet ea quae suspenduntur de coniunctionibus e pronomine relativo exortis: *quod, quia, cum.* Talis determinatio inde a Lucretio crebrius occurrit; maxime hic quoque usus in Porfyrionis commentario invenitur. Determinatio aliorum atque enuntiatorum relativorum semper pura est et formae *illud* ope fieri solet.

Notione *notissimus* pronomen *ille* in sermone quem examinavimus magis vulgari raro praeditum est.

Substantivum demonstrativum *ille* paulatim ita debilitatum est, ut pro pronomine personali poneretur. Hac ratione hic illic, quamvis raro, iam a Plauto usurpatur, quippe qui — ut posteriores — *ille,* numquam fere *is* pronominibus personalibus opponat et quibusdam locis promiscue modo *is* modo *ille* nulla cum significationis differentia scribat. Vim quoque ipsam demonstrativam ita debilitatam esse, ut pronomen personale oreretur, supra ostendimus. Demonstrationem porro, qua verbum certum aliquod quod antecedit respicitur, postea soli nominativi *ille* et *illi* efficere solent; plerumque homo unus certus, paulo rarius plures designantur. Hic substantivi demonstrativi usus iam apud Plautum observatur, inprimis in Ciceronis epistulis et in Petronii saturis, solus fere in Apulei libris et apud Gregorium occurrit. Quod haec una fere ratio demonstrationis manebat, apertissime idem nos docet: pronomen demonstrativum in pronomen personale tertiae personae transmutatum esse. Quam rem valde eo vidimus adiutam esse, quod summi Romanorum poetae pro pronomine *is*, quod evitabant, *ille* scribere solebant. Lingua Latina eo processit, ut ex hoc substantivo *ille* in linguis quae dicuntur romanis re vera pronomen personale tertiae personae oreretur, ex adiectivo vero, praesertim cum in operibus vel graece vel germanice scriptis, quae in linguam Latinam transferrentur, articulus occurreret, articulus definitus formaretur, cuius tamen prima vestigia iam intra ipsam latinitatem repperimus.

Tabellae quae sequitur numeris accuratius cognosci poterit, quoties quodque munerum quae discrevimus pronomini *ille* ab singulis auctoribus attributum sit; praefandum tamen est formas oppositionis quantum fieri poterat in alias partes distributas esse.

	I. Res praesens ostenditur (ille, illic)	II. Demonstr. syntactica Refertur				III. Determinatio Sententiae			IV. = notissimus	V. = is	VI. = Artic. defin.
		Ad subst.		Ad notionem		Relativae		Aliae			
		Subst.	Adj.	Subst.	Adj.	Pura	Mixta				
Plaut. Men.	25	16	4	9	—	2	5*)+9	1	4	6	2
Vitruv. . , . . .	—	2	2	—	—	—	—	—	—	1	—
Cic. ad Att. X., XI. .	—	50	2	5	13	2	7	12	18	7	—
Ps.-Caes. Bell. Hisp. .	—	14	1	2	10	1	—	—	—	—	—
Petron.	41	4	2	5	10	6	6*)+22	3	2	14	—
Gai Inst. III. . . .	—	8	—	—	1	2	2	17	—	—	—
Apul. Met. I.—III. .	8	43	22	1	27	2	7	—	4	—	—
Porf.	1	17	14	3	32	45	12	61	3	6	—
Peregr. ad loca sancta	—	27	23	5	11	33	32	10	2	5	1
Gregor. H. F. III. .	—	79	7	—	18	1	1	1	—	4	1

*) Demonstrantur res quae coram sunt.

Vita.

Iohannes Godofredus Wolterstorff Osterburgii Palaiomarchiae XXX. die mensis Iulii MDCCCLXXXII Ottone patre, matre Anna e gente Pfitzner natus sum; parentes quod morte iam mihi erepti sunt, novissimo ac violentissimo dolore afficior; altera mihi est mater Luise e gente Bockwoldt. Fidem profiteor evangelicam. Elementis litterarum in patriae ludo imbutus, anno MDCCCXCII eiusdem urbis progymnasio cui praeerant pater meus duoque eius fratres receptus sum; Ballenstedtium, quam in urbem Anhaltinam parentes transtulerunt institutum, paulo post domicilium meum factum est. Sex scholae paternae classibus absolutis gymnasium Dessaviense, quod tunc Kruegero, postea Ballino rectoribus prosperrime florebat, per tres annos frequentavi. Examine ibi quod dicitur maturitatis superato vere anni h. s. I. Gratianopolim Francogalliae, autumno proximo Marpurgum Cattorum, vere anni III. Monachium Bavaricae, hieme eiusdem anni Berolinum me contuli; vere anni IV. Marpurgum reverti. Linguis graecae latinae francogallicae colendis opera data die XVII. mensis Novembris anni V. examen Marpurgi superavi quo facultatem iuvenum disciplinis modo laudatis docendorum comparavi. Aestate anni VI. Dessaviae officio candidati probandi simulque magistri prioris ordinis functus, Potsdamii inde a Kal. Oct. prima primae legionis praetoriae cohorte miles receptus sum; unde examen rigorosum Marpurgi die XXVIII. mensis Novembris a. MCMVI subiens evasi bono eventu.

Docuerunt me professores clarissimi Gratianopolitani: Besson Chabert Colardeau Hauvette Morillot; Monacenses: Breymann Crusius Furtwaengler Traube; Berolinenses: Haguenin Lasson Schaefer Schutz-Gora Stumpf Tobler Vahlen de Wilamowitz-Moellendorff Winnefeld; Marpurgenses: Birt de Drach Hess Kalbfleisch Kissner Kuehnemann Maass Natorp Niese Oldenberg Scharff Thiele Thumb Varrentrapp Wechssler Wenck Wentzel. — Quod proseminario me receperunt Marpurgensi, gratias habeo viris illustrissimis Maass Thiele Wentzel; his exercitationibus cum duo per semestria interfuissem, benigne professores doctissimi Birt Maass Kalbfleisch Wentzel ipsius seminarii philologi aditum mihi patefecerunt; cuius hieme anni h. s. II. et aestate anni IV. sodalis eram. Aestate anni III. membrum eram ordinarium seminarii philologi Monacensis Crusio directore permittente. Exercitationibus seminarii romanici ut interessem membrum ordinarium, professores Kissner Marpurgensis, Breymann Monacensis concesserunt.

Quibus viris doctissimis omnibus optime de me meritis gratias semper ago quam maximas, nec non Theodoro Birt qui hoc ad opusculum conficiendum viam indicaverit neque tractantem opera et consilio me adiuvare umquam destiterit.